



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Diss. ⁴

3593

2

4° Diss. 3593. (2)

<36629164080017

<36629164080017

Bayer. Staatsbibliothek

DISSERTATIO JURIS PUBLICI
INAUGURALIS,

quam
*Rectore Magnificentissimo, Serenissimo Principe
ac Domino*

DN. FRIDERICO WILHELMO,

Electoꝝ Brandenburgensis Hærede &c. &c.

Consensu superiorum,

Occasione Ordin. Eccles. in Ducatu Magdeb.

Tit. 2. §. 1.

DE

**JURE PRINCIPIS
CIRCA ADIAPHORA**

DIRIGENTE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, Jcto,

Consiliar. Elect. Brandenburgic. & Univ. Frider. Prof.

Publ. Senior.

PRO LICENTIA

Summos in jure Divinò & humanò honores
& Privilegia Doctotalia ritè capeſſendi

Publico Eruditorum Examine submittis

ENNO RUDOLPH Brennensen/

Esenâ - Frisiz Orientalis.

d. 13. Sept. 1695. In Auditorio Majori,

Horis ante- & pomeridianis.

HALE, Typis CHRISTOPHORISALFELDII, REGIMIN. ELECT.
BRANDENB. Typogr.

Lehrfl. Brandenb. Kirchen-Ordnung des Herzogthums Magdeburg

Tit. 2. §. 1.

Es sollen die Prediger von den Ceremonien und Ordnungen in den Kirchen ihre Zuhörer aus Gottes Wort und nach Anleitung dieser Kirchen-Ordnung/ so oft es die Gelegenheit gibt/ berichten/ daß solche eufferliche Ceremonien und Ordnungen vor sich selbst kein Gottesdienst seyn/ noch ein Stück des selben/ sondern daß sie allein der Ursachen halben verordnet/ auf daß der Gottesdienst zu gehöriger Zeit und den gewöhnlichen Ort/ sein ordentlich und ehrlich gehalten und verrichtet werde.

Augsb. Confession im 7. Artic.

Es ist nicht Noth zu wahrer Einigkeit der Christl. Kirchen/ daß allenthalben gleichförmige Ceremonien von Menschen eingesetzt gehalten werden.


Item in 15. Artic.

Von Kirchen-Ordnung von Menschen gemacht lehret man diejenigen halten/ so ohne Sünden mögen gehalten werden/ und zu Frieden / zu guter Ordnung in der Kirchen dienen. Doch geschicht Unterricht dabey/ daß man die Gewissen nicht damit beschweren soll/ als sey solch Ding nöthig zur Seeligkeit.

Item in 16. Articul.

Die Christen sind schuldig/ der Obrigkeit unterthan/ und ihren Geboten gehorsam zu seyn in allen so ohne Sünde geschehen mag.

Caput



Capit I

De

FUNDAMENTIS JURIS

CIRCA ADIAPHORA.

SUMMARIA.

Secundum religionem naturalem omnis cultus externus Dei est adia-
phorus. Cur Gentiles cultum externum tantopere urserint, &
Philosophos ejus stultitiam aut hypocrisim videntes habuerint
pro Atheis? Sanctificationem certa diei in septimana non esse
juris naturalis. §. 1. At in religione revelata Veteris Testamen-
ti cultus externus non fuit adiaphorus. Christus vero intro-
duxit in Novo Testamento cultum simplicem ut paucissimis cere-
moniis constantem. §. 2. Ceremonia post Apostolorum tempora
qua occasione in Christianismum introducta fuerint, potissi-
mum tempore Constantini? Reformatores Papismi etiam
intuitu ceremoniarum diversa methodo usi. Formatur status
controversae. §. 3. Thema nostrum pertinere ad JCtos. Casus
conscientiae etiam ad JCtos pertinent. Conscientia vocis abusus.
A scriptura sacra excludi nequeunt JCti §. 4. Adiaphora su-
muntur vel late vel strictè. Posteriora sunt hujus loci & des-
cuntur. Notatur Formula Concordiae titulus X. §. 5. In de-
ducendo jure principum circa sacra incautè provocatur ad
exempla Regum Israeliticorum, cum Principes nostri habeant
majorem potestatem, quam Reges Israelitici. §. 6. Incautius ad
exempla Constantini, Theodosii &c. cum vel Codex Justinianus
ostendat, quam graviter Jus circa sacra illorum temporum prin-
cipis

cipio AntiChristi fuerit infectum. Nec brocardicum illud alicujus momenti: Cujus est regio illius est religio. §. 7. De Jure Principis circa sacra leges Christi nihil nobis disposuerunt. Ex fine Rerumpublicarum patet, Principem posse coercere eos, qui sub praetextu religionis pacem externam turbant, eiq; competere inspectionem generalem in actiones civium suorum tam circa res prophanas quam circa sacras, ac ejus dispositioni subjacere omnes actiones civium, quae sunt in eorum arbitrio: Distinctio communis inter interna religionis & externa est obscura & sophisticationibus subiecta. Princeps non potest cogere Judaeos, ut Christianorum templa frequentent. §. 8. Ergo subjacent etiam actiones circa adiaphora, quia haec nullibi excepta. Consensus Brunnemanni & Comringii. §. 9. Jus hoc competit Principi cujuscunque religionis, etiam statibus Imperii, vi superioritatis territorialis, & adeo ante Instrumentum pacis, non obstantibus Concordatis Germania & artic. 16. Capit. Car. V. §. 10. Exponuntur §§. 48. & 50. Art. 5. Instrum. pac. Instrumentum pacis admittit interpretationem doctrinalem. Princeps Catholicus potest subditis suis Lutheranis interdicere, ne canant und steure des Pabsts Word. §. 11. Potest etiam mutare princeps adiaphora in Conciliis oecumenicis determinata. Lex 4. C. de S. S. Trinitate videtur AntiChristica. Canones in libris Apostolicis circa res adiaphoras non omnes hodie observantur. §. 12. Denegantium Principibus Jus circa adiaphora argumenta. §. 13. Quibus respondetur, & initio (1) quidem praetensa, lesioni libertatis Christiana. Meisneri doctrina ex ipso Meisnero jugulatur. §. 14. (2) Principes non imperare conscientiiis hoc jus exercentes. Imperium in conscientias usurpari persequendo dissentientes & violenta reformatione. §. 15. (3) Non obstare nobis quod Ecclesia constet ex tribus statibus. Male regimen Aristocraticum queri in Ecclesia. §. 16. (4) Impertinenter afferri exempla regum Israeliticorum & judicium §. 17.

Etiam

§. 1.



um duo sint fontes, ex quibus cognitionem officii sui, & quid in hac vita sibi tanquam honestum agendum, tanquam turpe omittendum homines hauriunt, lumen scilicet rationis & revelationis, duplex etiam est religio, altera naturalis, altera revelata. Jam propositum nostrum non est, omnia ea, quae de differentiâ harum religionum in medium produci possent, afferre praesertim, ne turbemus limites venerandae Theologiae; huc id nobis in praesenti sufficiat considerasse, quomodo *ratione adiaphororum* hæc invicem distent, quippe cum hæc quaestio pertineat ad eorundem originem rite investigandam. Hic extra controversiam positum esse puto, *religionem naturalem* homini injungere, ut Deum tanquam summum Legislatorem colat ac veneretur, ipsiusque voluntatem, in quantum eam ratione nostrâ penetrare datum, actionibus suis exprimat, summoque studio socialitatem promoveat & pacificam tranquillitatem cum aliis hominibus colat. *An religio hæc naturalis externum quendam cultum ceremoniarum constantem ab hominibus exigat?* id dubium, & nuper calamô ventilatum esse novimus. Nos negativæ sententiæ accedimus, licet fortè ea multis dubia ac præterea quibusdam Sophistis aut Hypocritis blasphema videatur. Sive enim Deum respiciamus, sive hominem, nihil adesse reperiemus, ex quô ratio firmiter concludere possit, Deum à nobis exigere ejusmodi cultum; est enim *cordium* scrutator perspicacissimus, nec indiget externis ceremoniis ad declarandam ipsi voluntatem nostram, & quod ipsi incultu sui maximè placet, id obtutui ipsius etiam maximè patet. Unde ratio nostra non potest non concludere, in naturâ Dei nihil latere, quod cultum externum a nobis injungat. Si respiciat naturam humanam, nec tunc necessitatem ejus cultus perspicere potest. Non enim videt necessariam connexionem

A 2

inter

inter vitam socialem & cultum externum Divinum, cum illa per hujus omissionem non laedatur. Licet enim socialitatis interfit, ut aliis internam erga Divinum Numen reverentiam, tanquam fundamentum omnis obligationis, declararem, ne pro Atheo me habeant, & ita à me abhorreant; aliam tamen ratione & signis magis infallibilibus cultum meum internam satis indicare, per observationem sc. Legis naturalis & præstationem officiorum aliis hominibus debitorum possum, cum contra ceremoniarum externarum religiosarum fallibilia admodum signa sint. His enim hypocrita & homo omnibus vitiis deditus etiam vacare potest. Et hanc, quod obiter noto, puto fuisse rationem, quare ipsi Gentiles ad hypocrisim in statu illo extra gratiam maxime proni cultum illum externum adeo urserint, de cultu interno parum solliciti. Nec mirum, illos philosophos, qui hujus rei vanitatem videbant, apud ipsos statim pro Atheis esse declaratos, non secus ac apud nos, ubi si quis in verâ humilitate & abnegatione sui Deum colere velit, nec more plebis externo illi cultui adeo adhaereat, statim pro Enthusiasta ne quid gravius dicam, ore communi & quasi publice declaratur. Unde non possum non concludere, *omnem cultum externum in religione naturali esse adiaphorum*. Licet non ignorem, à plerisque DDribus asseri, sanctificationem certi alicujus diei in septimanâ, juris naturalis esse. *vid. Major in disputat. de Sabbath. lb. 35. Daphauer. in Collog. decal. ad præcept. 3. Osander de Sabbath. lb. 22. allegat. ab illustri & Magnifico Dn. Pro-Rectore Dn. Strykio ad B. Brunnemann. jus Ecclesiast. Lib. 2. c. 1. membr. 1. §. 8.* quorum sententiarum refutationi non immorabimur, cum præsupponant hypothesein, jam à nobis refutatam.

§. 2. Enimvero postquam humani generis ea est conditio, ut sublimiorem, cui divinitus destinatum est, finem obtinere nequeat eò cultu, quem sola naturalis ratio suggerit, cum per vires naturales, homo quidem ad aliqualem infirmitatem & miseriarum suarum agnitionem pervenire queat, sine concursu
autem

autem speciali gratiæ Divinæ remedium earundem cogitoscere & portam assequi nequeat salutis, DEUS hominibus *singularem viam pandere voluit*, quâ ipsis conciliari possit, & quomodo ab iis coli velit. Et hunc cultum statim ab orbe conditio externa quidam admixta habuisse, historia sancta docet. Sine dubiô enim ipso suggerente Numine, à primævis mundi temporibus cruenta illa sacrificia instituta in Symbolum Messîæ, labem generis humani expiaturi. Alias enim, si abstrahendô à revelatione Divinâ secundum principia rationis rem consideremus, ratione comprehendere nequit, ejusmodi destructionem Creaturæ DEO placere posse, prout rectè ratiocinatur B. Du. Pufendorf. de habitu religionis ad Remplicam §. 8. an autem DEUS alias externas ceremonias statim instituerit, admodum dubium. Novi enim, quoad ipsam diem Sabbati Theologos ipsos per omnia non convenire, & quosdam statuere, LL. Mosaicis septimum demum diem sanctificandum singulariter præ aliis sanctum fuisse, antea verò Patriarchas & reliquos omnibus diebus DEO æqualem cultum exhibuisse, quorum sententia non adeo improbabilis mihi videtur. Id certum est, postquam Deus gentem Judicam peculiari fœdere sibi innexerit, eamque servitiô Ægyptiaco liberatam sui juris fecerit, peculiaribus LL. & infinitis mandatis ceremoniaris singularem ei formasse religionem, ad adventum Messîæ usque duraturam, typicam quandam significationem futuri regni Christi habentem. Postquam autem Salvator noster in plenitudine temporis missus est in hunc orbem, aliam planè & diversam quoad ritus externos religionem introduxit, religioni naturali quoad externas ceremonias ferè conformem. Abolitus est sacrificiorum aliorumque rituum apparatus omnesque ceremonie externa, exceptis iis, quæ Christus specialiter Discipulis suis injunxit, e. g. baptismo, cenâ &c. sunt adiaphora, ita ut religio Christiana cultu interno, verâ humilitate animi se ipsum abnegantis, Deoque totum tradentis, contenta esse videatur. Et huic religioni practicæ Discipuli Christi, ac Apostoli per gratiam S. sancti omnibus viribus vacarent

sunt ut regni Christi, consistentis in justitiâ, pace & lætitiâ, red-
derentur participes.

§. 3. Sed in hac simplicitate, alienâ ab omni pompâ, non
diu substitit religio Christiana, sed postquam diversi generis ho-
mines, *Judei* præcipue & *Græci*, quippe quorum commerciô A-
postoli maximè usi sunt, illi accesserunt, omni studiô in id incu-
buerunt, ut ceremonias illas, quibus hæcenus assueti erant, in religio-
nem hanc suam novam introducerent, iisque quasi splendidiorem
redderent. Illustre ejus rei exemplum existat Actor. XV. ubi
Christiani noviter ex *Judaïsimo* conversi *circumcisionem* tanquam
necessariam reliquis Christianis obtrudere volebant, donec Pau-
lus & Barnabas institutô conventu omnium & singulorum,
Christianorum Hierosolymitanorum, in unice sanctô illô Con-
ciliô docerent, hoc ritu tanquam superfluo Christianos super-
sedere posse, indicantes, Sp. sanctum per prædicationem verbi
Divini communicatum esse Gentilibus non circumcisis, piô ac
ardenti desiderio illud audientibus. Ut tamen aliquâ in re Ju-
dæis gratificaretur, & hi tanto libentius fidelium è Gentilibus
conversionem admitterent, aut potius, ut novi Christiani ex-
terno quodam signo à Gentilibus separarentur, censebant, hæc
abstinendum esse ab Idolotytis, scortatione, suffocato & sangvi-
ne. *Quo magis autem, à temporibus Christi & Apostolorum recessum est, eò magis simplicitas relicta, & eò pluribus ritibus & ceremoniis externis reliquam suam vestire voluerunt Christiani, maximè postquam Imperatorès Romani illi nomen suum dederunt. Tempore enim Constantini M. maximam subiit mutationem res Christiana. Cum enim hæcenus Ecclesia fuisset pressa, & magnis persecutionibus obnoxia, quibus non obstantibus inter ipsos Christianos etiam secundo & tertio seculo subortæ fuerant maximæ contentiones, invidiæ, æmulationes Antistitum, & inde enata scandalosa schismata, (vid. *Histor. Eccles. Gothan. lib. 2. c. 3. Sect. 2. Huber. Histor. Civil. part. 2. lib. 2. Sect. 4. cap. 5. §. 2.*) tempore autem Constantini M. illa persecutionum tempestas Gentilium cessaret, mala illa, quæ hominibus in summâ omnium rerum, abun-*

abundantiâ & superfluitate viventibus accidere solent, ambitio scilicet & avaritia & inde oriunda odia ac persecutiones dissentientium, statim etiam Christianos infecerunt, Episcopos præsertim & Clericos, quippe qui Constantini favore maximè usi sunt. Quare sicuti hæc Aularum vitia potius in Ecclesiam irrepserunt, quàm simplicitas & pietas Christiana Aulæ Imperatoris communicata fuit, ita mirum non est, quòd religio quoque Christiana aliam faciem induerit, & in externas ceremonias transferit, in iugve consumpta sit, semine piorum semper excepto & latente. Placet hic referre verba Huberi *Histor. Civil. part. 2. lib. 3. Sect. 1. §. 7. Cum vera devotio, inquit, quæ est æctus animi sibi ipsi renunciantis, seq. DEO tradentis in Christo, atque internus Dei cultus in Spiritu & veritate vulgo obsolesceret, data est opera, ut ritibus & ceremoniis, magna parte è Judaismo & Gentilismo petitis, plebs in attentione supersticiosâ, quam devotionem vocârunt, detineretur, quòd etiam pertinet crucis venerationi & aliarum reliquiarum osculatio, peregrinationes ad sepulchrâ Domini, imaginum in templis collocatio, & id genus alia corporei cultus specimina, quæ deinde in infestam abierunt idololatriam. Hanc autem Huberi sententiam non esse cerebrinam, vel ex amico Eusebio discere licet, qui omnia summa studio collegit, quæ ad Constantianam extollendum pertinent, & tamen totam ejus pietatem constituit in Liberalitate erga Clericos, adificatione templorum & aedificatis, nullam veram pietatem indicantibus. Unde non mirum, si Imperatoris pietas in ejusmodi externis rebus consistit, plebem sese Regis ad exemplum composuisse, & in totam externis ceremoniis affixam fuisse, quòd & ipse Calixtus in *dissert. de Bapetismo §. 145.* agnoscit, allegans Augustinum suo tempore jam conquerebantur de numero ceremoniarum, Christianos nunc prænit magis constitutionibus humanis, quàm olim populum Judaicum oneribus legis ceremonialis. Imò addit de suo Calixtus, quòd magis pietas decreverit, eò magis crevisse ritus, ceremonias & solennitates, & operam datam ut vulgus apparatus & pompa oculos tenentibus caperetur. Quicquid sit de temporibus Constantini, eò eandem rem rediisse constat, ut verus Dei cultus animis hominum vulgò eliminaretur, & v.*

rius ac superstitiosis ceremoniis omnia replerentur, donec seculò superioris planè ad Reformationem maturefceret, deformitate Ecclesiæ Catholicæ multis seculis collectâ nullâ re magis, quàm manifestâ Pontificum ac reliquorum Clericorum improbitate in oculos hominum incurrente & Lutherus aliq̄, Reformatores ab hâc laabe Ecclesiam liberare & pristino vigori restituere allaborârunt, quamvis diversâ viâ inceserint. Lutherus ejusq̄væ Affectu aliquem externi cultus apparatus retinuerunt, divertendis, judice Monzambanò cap. 8. §. 7. simpliciorum animis, quorum captum-nuda pietatis meditatio superare soleat. Zwinglius verò aliique, ritus Catholicorum superstitiosi quid spirantes cum pulvisculò ejece- runt, cultumq̄ve suum externum à pompâ externâ purgarunt. Unde & brevi discordiæ inter ipsos Reformantes ortæ, etsi iisdem etiam occasione dederit diversitas efferendi conceptus de mysteriis, quæ non parùm eorum institutum turbârunt & de- honestârunt, & Protestantes in duas partes divisi non minoribus inter se odiis quàm adversus Pontificios, erga se implicati sunt. Circa hos ergò ritus abrogandos & alios introducendos quid juris com- petat Principi, libet discutere. Ne autem falcem in alienam messem mittere videamur, paucis videndum, an hac materia pertineat ad Jurisprudentiam an Theologiam?

§. 4. Primo graviter instituto nostro obstare communi- nis Dd. persuasio videretur, juxta quàm casus, quos vocant, *con- scientia*, ad Theologiam pertinere vulgò sibi imaginantur, ita ut JCTi committant *μεταβασον εις άλλο γένος*, si eorum decisio- nem sibi vindicare conentur; & hoc argumentum vulgò tantæ hætenus fuit auctoritatis, ut JCTi plerumq̄ve abstinerint ab ejus- modi casibus, ne tumultus excitare viderentur, & Theologis illos reliquerint. Præ reliquis verò hoc argumentum admodum ur- get Havemannus in *tr. de jure Episcop. Tit. XIII.* ubi ex hoc fun- damento abstrusiores casus matrimoniales minimè decidi debere à JCTis, putat: & *quis igitur, inquit, tam effec obtusus ac stolidus, qui à Divinis, à Casibus conscientie, Ministros Ecclesiæ arte- ret, quibus Scriptura interpretatio & conscientiarum ex verbò Dei infor-*

informatio à Deo ipso commendata est sollemniter. Cum ergo in hâc dissertatione multos relaturi simus casus, quos vulgò ad casus conscientia referunt, merito hoc argumentum nos deterrere deberet, ut institutò abstineremus, & illis, qui conscientis præesse volunt, reliqueremus. Huc objectioni lubet opponere, *Conscientiam nihil aliud esse, quàm iudicium intellectus circa actiones humanas, quatenus iste cognitione Legum est imbutus, & sic conscientia nullò aliò respectu circa dirigendas hominis actiones locus aliquis tribui potest, quàm quatenus cognitione legum est imbuta.* Nam aliò sensu *conscientia* vim aliquam peculiaris dirigendi actiones tribuere velle, nihil aliud esset, quàm, *quibuslibet hominum phantasia vim legum tribuere, & summam confusionem negotiis humanis inducere, prout rectè ratiocinatur B. Dn. Pufendorf. de jur. natur. & Gent. lib. 1. c. 3. §. 4.* Quò præsuppositò, facile patet, uti nemo Dominos Theologos à decisione casuum conscientia excludere absque in iuriâ vellet, ita & valde injuriosos esse in Jctos homines illos, qui omnem planè decisionem casuum conscientia illis abjudicare velint. Ex circumstantiis enim facti dijudicandum est, ad quam Facultatem casus pertineat. Si enim ex principiis Theologiae *eternam salutem respicientibus* est decidendus, pertinet ad Theologiam; si ex illis LL. *quæ salutem hominis respiciunt temporalem*, ad Jurisprudentiam. Unde cum principia dissertationis nostræ ex jure naturæ & inde deductis legibus humanis simus deducturi, hoc autem sine dubiò ad Jctos pertineat, vitio nobis intentio nostra verti nequit. Cæterùm admodum placet meditatio B. Dn. Pufendorf. *l. supra cit. Fatendum est, inquit, communem vocabuli Conscientia sensum à Scholasticis primò introductum, ac nuperis seculis, qui vocantur casus conscientia inventos à callidis sacerdotibus, stertentibus ad suam libidinem hominum animis.* Sed graviter instant adversarii, *adiaphororum definitionem petendam esse ex Systematibus Theologicis & Theologos, veros Scripturarum interpretes, deum accuratè nosse, quanam sint adiaphora, adeoque si Jcti discernere velint de hâc materia, illud æquè inconveniens esse, ac se*

*Pistor de corio, sutor de pane, faber ferrarius de hyacinto & adamante, sartor de ambrâ judicarent, quam comparationem Havemannus d. l. latius persequitur, sed commiseratione potius, quam refutatione dignus. Ad ipsum autem argumentum de definitione, concedimus ex S. Scripturâ petendam illam esse, sed negamus, inde concludi posse, Jctos non posse hæc de re agere. Quis negaret, Jctos agere posse de Incestu, Sodomia, Simonia, & reliquis delictis Ecclesiasticis, quæ non contra jus naturæ, sed vel jus Divinum positivum Univerfale, vel Christianismum committuntur? Jcti tractant etiam de Hæreticis, & tamen definitio hæreseos ex S. Scripturâ petenda. (Nam puto, definitionem Hæretici, quæ exstat in L. 2. §. 1. C. de Hæreticis non posse admitti à Protestantibus.) Papisticum esset, Jctos excludere velle à S. Scripturâ. Utuntur Theologi S. Scriptura, utuntur & Jcti, sed diversò fine, illi ut animos hominum disponant ad salutem æternam, hi ut ad salutem temporalem. Nec enim Facultates Theologica & Juridica libris distingvi debent, sed fine. Unde concoquere nequeo quod nonnulli Theologi cum Havemanno Jctos limitibus corporis juris Romani planè includere velint, & si ultra sapere velint, statim opponant *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, crimen ut barbarum, sic merè scholasticum & pædagogicum. Dein, quod probè notandum, *objectum dissertationis nostræ, saltem ex Theologiâ presupponimus*, non autem *Principia nostræ* ex Theologiâ mutamur sed ex jure naturæ. Quemadmodum igitur e. g. Arithmetica non *μεταβαίνεις*, etsi principia domestica ad exempla Historiæ Sacræ applicet, sic neque nos peccabimus, si applicuerimus principia juris naturalis de jure circa sacra in genere ad materiam de adiaphoris. Aliud videlicet est principia demonstrationum ex aliâ disciplinâ mutuari, aliud, objectum, cui demonstratio applicari debeat, aliunde petere, quod anotavit Dn. Præses in *Jurisprudentiâ Divinâ Lib. 1. c. 2. §. 17. & 18.* His obstaculis ita remotis rem ipsam propius aggrediemur, & quidem primò suppeditando *definitionem adiaphorum.**

§. 5. Vox

§. 5. Vox autem, ἀδιὰφορον, duplici significatione usurpatur, laxâ nimirum & strictâ; illâ significat omnia, quæ suâ naturâ nec bona sunt, nec mala, seu quæ LL. Divinis non sunt determinata, & de quibus Princeps pro utilitate Reip. disponere potest. Nam quæ à Deo vel in jure naturæ vel positivò jam sunt prohibita, vel præcepta, illa non indigent determinatione humanâ, nisi quatenus Princeps illis præceptis confirmationem aliquam addere potest, ut eò magis Cives ad eorum observantiam adstringantur. In angustiiori autem, & qui hujus loci est, significato sunt illi ritus & ceremonia, quæ in Conviventibus Christianorum circa cultum externum Divinum adhiberi solent, neque à DEO & Christo mandata, nec prohibita, v. g. usus certarum vestium, cercorum, Exorcismi &c. Sicut enim in omnibus speciebus jurisprudentiæ aliquid pro indifferenti habetur, de quò LL. nihil disposuerunt, ita & in Christianismo & re Christianâ aliquid pro licito censetur, quod nec Christus nec principia veri Christianismi prohibent. Havemann. de jur. Episcop. Tit. XI. §. 1. Carpzovius jurisprudent. Eccles. lib. 2. Tit. 15. n. 1. 2. 3. 4. ut & Formula Concordia Tit. X. nisi quòd hæc definitionem datam tot limitationibus & circumscriptioibus ita obscuram reddiderit, ut à temporibus istius sacri libelli hucusque, omnes rixatores & adversarii pacis ex isto titulo 10. semper arma sumserint resistendi principibus, jus suum circa adiaphora, exercere volentibus, & stabiliendi papatum secundum à Luthero prædictum, præprimis si de abrogandis ceremoniis quibusdam adiaphoris, magis tamen ad superstitionem inclinantibus, quæstio fuerit, præprimis autem si Reformati Principes Lutheranos subditos nacti fuerint. Et cæcus esset, qui non videret, istum libellum maximam partem in odium Reformatorum, qui illo tempore sub nomine Philippistarum & alio magis injurioso traducebantur conscriptum esse, atque etiam præfatum titulum 10. etsi Status controversiæ alia omnia præferat, eo respicere, ut vel ex Epitomes d. tit. 10. versic. eâ tamen in re omnem levitatem &c. & soluta repetitione d. tit. 10. circa finem, versic. Rejicimus & damnamus etiam eorum intemperiam &c. perspicue patet, & argu-

mentis, quæ à Theologis Wittebergenſibus ſubinde ex illis locis adverſus Magiſtratus Reformatos petita ſunt. Quod ut mihi quidem apertè repugnare videtur Auguſtanæ Confeſſioni *artic. 7. verbis: nec neceſſe eſt, &c. item artic. 15. verb. proſunt ad tranquillitatem, item artic. 16. verbis: niſi cum jubent peccare &c.* ita reliqua quæ hîc dici poſſent reſervabo ipſi diſputationi.

§. 6. Circa hæc adiaphora quid juris competat Principi, jam offendemus, poſtquam prius *generalia Principia de jure Principis circa ſacra paucis* delibaverimus. Circa quam materiam eò cautius eſt procedendum, quò plures ſunt ſcopuli, in quos illi di quis poteſt, niſi duo extrema notet, ne ſc. ejusmodi Principia fovent, ex quibus vel *Cæſar. Papiæ* vel *Papo-Cæſaria* introducatur. Unde & minùs feliciter procedere mihi videntur illi DDres, qui ubique in hâc materiâ ad *Reges Iſraëliticos*, vel exempla *Primorum Chriſtianorum Imperatorum* provocare ſolent. Hic enim modus probandi admodum lubricus & periculofus mihi videtur in utramque partem. Nam quantum ad exempla Veteris Teſtamenti, notandum eſt, *Religionem Judaicam* diverſæ fuiſſe naturæ à *religione Chriſtiana*, idque non tantum quoad interna, ſed & externum regimen. Sicut enim religio Judaica ſtatui fuit corvæ, & eòdem tempore eòdemque volumine ſancitæ ſunt LL. circa ſacra & Civilia, ita & ſtatui politico ita fuit implicita, ut Religio Judaica ſalva eſſe non potuerit, ſine ſtatu Judaico & vice verſâ. Unde Republica Judaica illam prærogativam habebat, quod eſſet Theocratica, & nullum actum ad ſummam rerum ſpectantem Judæi exercere poſſent absque ſingulari Dei conſilio, utpote qui ſummum imperium in illâ rep. ſibi reſervaverat, non quidem eò ſenſu, quò dicitur Rex Regum & Dominus Dominantium, ſed eò ſenſu, quò e. g. Sereniſſimus noſter Elector eſt Dux hujus Ducatus; illudque imperium DEUS non tantum exercuit tempore Judicium, ſed & ipſorum Regum, uti conſtat ex exemplis S. Scripturæ allegatis, ratione juris belligerandi, ſtruendi templum. Unde certè injurioſi ſunt in Principes noſtros, qui ipſorum jura cum juribus Regum Iſraëliticorum

com-

comparant. Multa enim habent Principes nostri, quæ illi non habebant.

§. 7. Quod autem attinet *exempla Constantini M. Theodosii, aliorumque Imperatorum, nec hæc est, quò tuto niti possimus.* Hos enim Imperatores non tam vitiò propriò, quàm illorum Clericorum, quibus erant obsessi, multa *in jure circa sacra perpetrarunt, qua certè defendi nequeunt.* Ex historiâ Ecclesiasticâ exempla allegare, necessarium non est. Ipse *Codex noster Justinianus* satis indicat principia juris Ecclesiastici illius temporis, adeò ut *pauca sint LL. circa sacra, ubi Anti-Christi caput suum non extollat.* Malè etiam consulere mihi videntur juribus Principum, qui communi illi Brocardicò nituntur: *Cujus est regio, illius quoque est religio.* Quod à Protestantibus Principibus initiò Reformationis arreptum fuisse videtur, ut eo plausibilius auctoritatem Cæsaris, reformationem ipsorum prohibere volentis, protelare possent, quasi ad Cæsarem nihil spectaret, quid ipsi in suâ ditione agerent. Verùm hoc axioma *religioni Protestantium multum damni attulisse*, jam annotarunt alii, dum & à Pontificiis Principibus in Protestantés fuit retortum, & eò prætextu gravis persecutio contra eos instituta fuit. Nam cum initiò hujus sæculi Pontificii consilium caperent de extinguendis Protestantibus in terris hæreditariis Imperatoriis, & verò nomen *Inquisitionis* in omnium auribus esset horribile, huic persecutiõni imposuerunt, nomen *Reformationis*, ut ita Protestantibus sua vox & suum brocardicum reponeretur, & quò prætextu Protestantés hæctenus Pontificios terris suis ejecerant, eòdem & ipsi uterentur. Possem & alia ejusdem farinæ argumenta allegare, quibus communitè jura circa sacra superstrui solent.

§. 8. Ut ergò duo illa extrema §. 6. notata evitemus, ante omnia præsupponimus, *in Novò Testamento nullibi expare ali- quod dictum ad summos Imperantes specialiter directum, quò ipsi peculiare officium circa Ecclesiam exercendum injungatur*, sicuti existat pro Regibus Israëlitis præceptum aliquod *Deveron. XVII. 18. 19. 20.* aut quò normam exercendis juribus suis ipsis præscribatur.

Unde colligo, *omnia jura Principum Christianorum, quæ Principum, addiscenda esse ex principiis juris naturalis & genuinâ indole summi Imperii Civis.* Quæ enim in S. Scripturâ non sunt disposita, expressa & determinata, illa ex sanâ ratione sunt haurienda. Postquam enim Christus & Apostoli religionem Christianam Gentiles docuerunt, ipsos ullam mutationem circa jura Principum, prout ex jure naturæ fluunt, induxisse, nullibi legitur. Imò potius Christus & Apostoli obedientiam Magistratui præstandam ubique inculcârunt. Et inde si Respublica, hætenus gentilismo addicta, Christianismum amplectatur, Status Civitatis quoad jura Principum non alteratur, aut aboletur, sed manet summum Imperium cum omnibus suis partibus, manent cives cum suis muneribus & obligationibus. Nam illa mutatio, quæ per Christianismum accidit Civibus, aut certè accidere debet, non afficit obligationem quæ est inter Principem & subditos, sed respicit tantum internam mentis dispositionem, adeoque jura Principum in subditos salva manent. Quod & inde luculenter apparet, quod Christus & Apostoli nunquam separatam aliquam Rempublicam inter suos Auditores instituerint, aut illos admonuerint, ut illâ civitate, in quâ hætenus vixerant, relicta, novam conderent, sicut Moses inter Jûdæos jussu Dei faciebat. Unde & Discipuli Christi ab ipsô haud dependerunt, sicut à Principe Cives solent, sed uti Discipuli à Magistro, non peculiari aliquô homagio in ipsius religionem adacti, uti falsi Discipuli Christi successu temporis introduxerunt, sed amore & admiratione deliniti. *Vid. Johann. VI. 66, 67, 68.* His ita positis jam videndum, quidnam juris ergo competat Principi circa *sacra ex jure natura & genuinâ indole summi Imperii*, ubi abstrahendô à LL. fundamentalibus singularum Rerumpublicarum, quibus exercitium summæ Majestatis limitari solet, & certis cancellis includi, optimè *ex fine Rerumpublicarum* & causâ earum impulsivâ quæstio hæc decidi potest. Finis autem rerumpublicarum in hõc statu corruptò est, ut Cives presidium aliquod sibi circumponerent adversus mala & insidias, quæ à potentioribus vicinis in statu naturali sibi imminabant,

nebant, quia post Deum nullum adest instrumentum efficacius ad coercendam hominum malitiam & securitatem comparandam, quam ejusmodi ingeniosum commentum, ubi multi homines per mutuum pactum directionem voluntatis & virium suarum alterius voluntati subjiciunt, in communem totius illius corporis moralis usum. Unde *in dubio tanta competere presumitur Principi potestas, quanta sufficit ad obtinendam reip. finem, id est, tranquillitatem internam & externam.* Ergo Principi incumbit ante omnia providere, ne vitia tranquillitatem turbare apta, ut avaritia, ambitio & voluptas, erumpant, & si forte in damnum reip. eruperint, iterum coercantur, ne latius serpent, & Resp. gravius damnum patiatur. Jam religio vera tam naturalis quam revelata ad id precipue homini intervire deberet, ut animum suum purgaret ab ejusmodi vitiis, & cultui divino se magis magisque aptum redderet; nihilominus tamen experientia omnium seculorum, satis testatur, religionem apud multos homines tam perversum habere effectum, ut illam tanquam instrumentum utantur pessima scelera perpetrandi & non solum Republicam, in qua degunt isti, turbandi, sed & vicinos premendi, concutiendi, evertendi. Unde Principi utique incumbit curare, ne per religionem malorum istorum perniciēs aliqua Reip. inferatur. Eo enim ipso, dum isti turbas excitant in Rep. satis indicant, veram religionem sibi curæ cordique non esse. Vera enim religio & Christianismus à rixis, discordiis, litigiis pacem externam civilem turbantibus, abhorret, & animos potius disponit ad injurias aliorum patienter ferendas, quam alii inferendas. Unde & isti male utuntur clypeo religionis, si Princeps ob hæc vitia ipsos punire velit. Qui enim contra religionem peccat, ille indignus est privilegio religionis; quare cum nulla res tam sancta sit, quin, ubi humanis manibus tractetur, in abusum trahi queat, contactuque foedetur, dubitare non licet, Principi competere inspectionem generalem in actiones Civium suorum tam circa res profanas, quam sacras; & neminem ideo queri posse super injuriâ. Si enim omnia recte peragantur, non est quod metuant; sin male, sibi imputent, quod Princeps eos coër-

coërceat. Annon Germania & totius propemodum Europæ regna fatis protestantur, quid possint religionis dissidia & motus nocere & efficere? Si ergo Principi adimeremus facultatem coërcendi ejusmodi motûs, religionis ergò excitatos, certè tota, Resp. periret; Unde & vera mihi videtur eorum philosophia, qui statuunt, *omnes actiones civium subjacere dispositioni Principis, modo sint tales, ut sint arbitriò & voluntati civium subjecta tam naturaliter, quàm moraliter.* Nam *impossibilia* Civibus velle injungere, crudele esset, turpia verò impium. Ex omnibus enim ejusmodi actionibus civium Reipublicæ damnum nasci potest, cui Princeps in antecessum medelam aliquam adhibere potest, ne post vulneratam causam demum remedium querere necessum habeat. Et hanc sententiam nostram puto rectæ rationi esse conformiorem, & faciliorem, quàm illorum, qui distinguunt inter *interna religionis & externa*, ita ut circa hæc disponere possit Princeps, non autem circa illa. Etsi enim nullum sit dubium, Principem non habere potestatem in internis, quia illa arbitrio hominum non subjacent, tamen si ad externa pervenitur & hæc distinctio ad casum controversum applicanda postea est, multam præbet ansam dissentiendi, quænam sint interna, quænam externa. Rem casti illustrabo: Queritur à DD. *an Princeps Judæos in suo territorio viventes compellere possit, ut Christianorum conciones frequentent?* Qui affirmant, dicunt, hoc pertinere ad externa, qui negant referunt ad interna. Uterque pro sua sententiâ probabiliter disputat. Nostra regula supra posita decidit clarè, sc. quia frequentare conciones Christianorum, eorumq; sacris interesse, Judæis turpe videtur, nec ad tranquillitatem Reip. quid confert igitur ipsorum conscientiæ vis non inferenda. Et quamvis conscientia eorum sit erronea, error tamen non remendatur coactione, sed amicâ conversatione, exemplo pio aliisque remediis & magis rationi & magis præceptis Christi convenientibus. Et sic idem judicium de similibus casibus ferendum.

§. 9. Quæ omnia si quis rectè consideraverit, facile putato, nobis largietur, non longâ ratiocinatione opus esse ad probandum

bandum, *actiones & res adiaphoras circa cultum Dei, subjacere etiam dispositioni Principis.* Nullum enim hic adest principium, ex quò Christiani prætereendere possent, Principis Imperium hic cessare. Summum enim imperium extendit sese *ad omne illud, quod jure divino non est determinatum, quod latè probavit etiam Grotius de jure circa sacra c. 3.* Sicut enim in jure publicò Princeps vigore superioritatis sibi vindicat jus in omnes degentes in suò territorio, imò & omnia bona ibi sita, nisi quã exceptio possit doceri, naque hic distingvendum inter subditos in dignitate aliquã sive summa sive minori constitutos, aut inter infimi aut supremi ordinis; (*Illustris. Dn. de Rbez jur. publ. Lib. 2. Tit. 2. §. 16. Illustr. Dn. de Jena de ratione status dissert. 19. conclus. 2.*) ita etiam in dubiò omnes actiones civium jure divino non determinatæ, & arbitrio civium subjectæ, LL. civilibus determinari possunt. Quæ nostra philosophia ne cui paradoxa videatur, audiamus B. Brunnemannum de jure Eccles. *Lib. 1. c. 2. §. 34.* ubi: *Cum autem, inquit, actiones hominum sint vel jure divino imperate vel concessæ, potest Princeps iis tempus, locum, modum, & personas assignare, quatenus eadem neque per rei naturam, neque per legem Dei definita sunt, impedimenta quoque auferre, interdum præmia addere, illicitas verò actiones poenis coercere. Sed que à Deo imperata, Princeps prohibere non potest, ut verbi salutaris prædicatio, & sacramentorum exhibitio. Sed Princeps potest jubere, ut Baptismi & communionis sacra canon elatâ voce coram populo pronuncietur, &c.* Audiamus & Conringium de autoritat. *Majestatis circa sacra th. 15.* ubi: *de quibus inquit, non est vetitum aliquid constituere, decori tamen ratio exigit, ut quid circa ea ordinetur, ea humanis constitutionibus licet circumscribere. Cum ergo adiaphora nostra hujus generis sint, sponte suâ sequitur, & hæc penderè ab arbitriò Principis, quod & clarius expressit B. Brunnemannus d. l. §. 28.* *Principi, inquit, jus in sacra competit, & quidem disponendi non tantum circa externam disciplinam, sed & ceremonias sacras ordinandi, que omnia eatenus procedunt, quatenus juri divino, legibusque provinciæ fundamentalibus patiturque*

ac reversalibus non adversantur. Cæterum quomodo occurrendum sit illis, qui AntiChristum politicum ita induci putant, uti inter alios subinde crepat Hayemann. *d. tr. vid. Brunnem d. l. §. 34. in f. add. Ziegler. dissert. s. de jurib. Majest. §. 59.* Facile providere possum, hanc doctrinam non placituram illis, qui *Aristocraticam* gubernationem in Ecclesia obtinere debere putant; sed eos rogo, ut paulisper affectum suum contra nos conceptum suppriment, donec §. 16. ipsorum dubiis simus responsuri. Permittant nobis interim ad alia transire.

§. 10. Quemadmodum ea jura, quæ hæctenus Principibus juste adscripsimus, ex indole summi Imperii fluunt, hæc autem juris naturalis est, ita & inde sponte suâ sequitur, hanc potestatem *omnibus principibus competere indistinctè, cuicunque religioni sint addicti.* Religio enim, ut supra jam diximus, non variat jura summi Imperii, nec ea afficit. Sicut enim subditi, sive sint Lutherani sive Reformati sive Catholici cæteris paribus, Principi suo æqualiter sunt subditi tam Lutheranis, & Reformatis, ita & contra Princeps eadem jura habet in subditos, sive sint Lutherani sive Reformati sive Catholici. Imperium enim & subjectio sunt correlata, & ubi est æqualis subjectio, ibi est æquale Imperium. Novi equidem, non ita pridem Authorem quendam satis notum scripto publicè edito probare voluisse, *Lutheranismum plus favere Principibus, quàm Reformatam aliasque Religiones,* & inde Principes vel ob suum interesse ad castra Lutherana transire debere; verùm novi etiam, hunc autorem jam à Dn. Præside in *Discursibus suis mensuris* esse refutatum. Et puto, nec aliis veris Christianis hanc methodum convertendi Principes sese probare posse: Est enim nimis politica, & Apostolicæ contraria. Nunquam enim Apostoli hoc mediò terminò usi sunt ad convertendos alios, nisi fortè in Ecclesiâ plantata alii mores obtinere debeant, quàm adhuc plantandâ. Sed propius accedamus *Principibus Imperii nostri,* quatenus & illis competat imperium circa adiaphora, ubi abstrahimus à *pactis*

prin-

Principum cum subditis, quæ magnam utique hic inducunt diversitatem quoad jura Principum nostrorum, & rem sumus consideraturi ex jure publico universalis Germaniæ, fundatò in A. B. Recc. Imp. Capp. Imp. Instrum. pac. & secundum hujus principia non possumus non hanc quæstionem *affirmative decidere*. Jus enim circa sacra est pars summi Imperii, & per consequens etiam *superioritatis territorialis*. Quod enim in extraneis Principibus est Majestas, illud in Statibus Imperii est superioritas territorialis, quò vocabulò ex modestiâ fortè ad indicandum nexum feudalem, quo Imperatori & Imperio sunt obstricti, hæctenus stylò juris publici uti voluerunt; qui certè nexus aliquatenus delibat summum statuum imperium, quò minùs plenâ souverainitate gaudeant. Quoniam autem superioritas hæc non demum per Instrumentum pacis Statibus est concessa, sed diu antè ipsis jam competiit, adeò ut maxima pars Dd. juris publici ejus originem jam referant ad tempora Ottonum, præsertim cùm admodum probabile sit, plurima feuda Imperii esse feuda oblata à tempore Conradi Ducis Franconiæ, uti ratiocinatur Dn. de Monzambanò; ideò etiã *jus circa sacra diu ante Instrumentum pacis competiit, imò & ante tempora Reformationis*. Superstitio enim, quæ antea tenebat animos ipsorum, ipsum exexcitium hujus juris ipsis quidem adimebat, sed non ipsum jus. Nec concordata Germania, quippe dolò & metu elicitæ, Principes obligabant, præsertim cùm & ipse Pontifex illa frequenter violasset, & licet Electores in Capit. Carol. V. art. 16. hæc concordata denuò approbârint, dum Imperatorem ibidem adstringere voluerunt, ut operam impenderet apud Pontificem, ut concordatis hisce sese conformem gereret, & ita injuriam sibi à Pontifice illatam videantur remississe, & sic vi iterati & repetiti consensus de novò se obligasse, nihilominus tamen nec hæc approbatio illis concordatis efficaciam quandam addidit. Renunciatio juris sui ex errore orta, cui dolus alterius anam dedit, est nulla, non secus ac si in chirographo spe futuræ numerationis datò, renunciem exceptioni non

non numeratz pecuniæ. Constat enim ex historiâ Germanicâ, quantâ superstitione pleraque Germania tunc temporis erga Pontificem adhuc esset occæcata. Et licet in Saxonîa lux Evangelii jam aliquatenus affulgere cœperit, (nam Carolus V. eligebatur Ao. 1519. Lutherus autem jam Ao. 157. contra Terzendum disputare cœperat) ea tamen reformatio animos Electorum nondum penetrarat, unde nec mirum, illud Capitulationi Carolinz adhuc fuisse insertum, quod tamen subsequen- tibus temporibus omissum, quod sine dubio protestantes Electores primi urserunt, odorati, Papam Romanum vi, clam & precariò hætenus jura sua in Germaniâ exercuisse, & jam tempus esse, quò jagum illud excuterent. Et mirum alicui videri posset, *qui factum, ut tantam tyrannidem Pontifex exerceret in Germaniam, quantam in nulla ferè Europæ regna, nî forte præsumi posset, multum ad eam contribuisset, quod Icti hætenus Imperatori & Statibus pervaserint, Germaniam habere summum imperium in urbem Romanam & Pontificem adeoque Imperatori Germanicò competere omnia jura, quæ Constantinus M. & reliqvi Imperatores Romani habuerint, quæ prætenfio uti nullò jure fundata erat, (Carolus enim M. tantum acceperat jus advocatiæ in urbem Romanam) ita Pontifici intolerabilis visa; hinc neminem Principum sapius anathemate perstrinxit, neminem crebrioribus Sacerdotum seditionibus agitavit, quam Germanorum Imperatores. Sed hæc obiter.*

§. II. In viam redeamus. Constat, in Instrumento pacis art. 5. §. 48. inter Romano-Catholicos & Augustanz Confessionis Consortes esse conventum, ut si Cives v. g. Lutherani in territoriò Principis Pontificii Anno 1624. habuerint exercitium religionis, illud quoque quietè in posterum possideant. Sed dubium est, *an hæc Conventio etiam intelligenda sit de adiaphoris*; ita sc. ut Princeps Catholicus non possit quid disponere circa adiaphora hætenus in Ecclesiâ Lutheranâ observata jam anno 1624. Casu illustrabo; v. g. In Ecclesiâ Luthe-

Lutheranâ jam Ao. 1624. in usu fuit cantio illa communis: **Erhaltung des Herr bey deinem Wort / und steure des Pabstes und Türcken Nord** / ic. jam *Quæ an Princeps injungere possit suis subditis, salvâ pace Osnabrugensi, ut verba, des Pabstes Nord omitant, & alia substituant?* Hic initio scrupulus eximendus est, quasi essem reus læsæ pacis Osnabrugensis, cum *art. 5. §. Utriusque religionis so.* expressè sit dispositum, ne vel Sacerdotes concionandò, vel Professores docendò & disputandò dubiam hanc reddant, & per consequens multò minùs Candidato juris licitum esse videatur, ejusmodi quæstionem scrupulosam, & hæctenus nondum decisam proponere & ventilare. Verùm puto, *d. §.* nobis non obstare, quò minùs sententiam nostram hæc de re exprimamus. Monet enim saltem, ne disputandò quis eam pacem *dubiam* reddat vel assertions *contrarias, menti sc. contrahentium* inde deducat; non autem prohibet, ex mente & intentione contrahentium & ex ipsò contextu dubium aliquod resolvere. Nam quod statuit. *Mev. p. 1. dec. 67. Instrumentum pacis hujus non admittere interpretationem doctrinalem, sed tantùm authenticam*, illud jam solidè refutatum ab *Illustr. Dn. de Rhez. jur. publ. Lib. 1. Tit. 1. §. 80. 81. 82.* ubi dicit, *quemadmodum in jure privato tunc demum recurrendum est ad interpretationem authenticam, cum mens Legislatoris neque ex verbis nec intentione apparet, ita etiam juris esse in jure publico.* Et sanè si in jure publicò nulla interpretatio doctrinalis obtineret, juris hujus prudentia non pertineret ad JCTos, cum officium JCTorum, quantumcunque sit, consistat in applicatione LL. ad facta per interpretationem doctrinalem. His præmissis, facitè responderi potest ad quæstionem, & quidem *affirmativè*. In omnibus enim speciebus jurium tam divinorum quàm humanorum obtinet: Quodcunque nullibi est prohibitum, illud est licitum, & pro licentiâ tamdiu est præsumtio, donec probetur contrarium. Jam in *d. art.* nihil invenitur, quod possit Principi hanc facultatem adimere. Princeps quidem Catholi-

cus ibidem prohibetur, *vim conscientia inferre* Lutheranorum, aut statuere quid adversum Augustanæ Confessioni. Sed dispositio Principis in adiaphoris non violat conscientiam, nec Augustanam Confessionem. Nam tales res, quæ lædunt Conscientiam, non amplius sunt adiaphoræ, de quibus nostra est hypothesis. Adiaphorum autem est, utrum formula illa, *steure des Pabstes Word* / publicò in conventu ita altâ voce cantetur nec ne, cum si quis eam omittat neque Augustanæ Confessioni aliquid committat adversum, neq; pejor inde evadat Christianus. Plures quæstiones similes huc referre necessarium non est, cum ex eodem principiò decidendæ sint.

§. 12. Illud magis dubium, *an principi competat potestas mutandi adiaphora in Conciliis Oecumenicis determinata, v.g. festum paschatos?* Nos intrepidè *affirmamus*. Nam Concilia disponentia de rebus adiaphoris vim obligandi accipiunt à voluntate Principis. Ergò sicut Princeps alias LL. Ecclesiasticas iterum mutare & abrogare potest, ita & decreta Conciliorum. Nolumus quidem in præsentî disputare, quantam auctoritatem Concilia habeant circa res fidei, nisi quod obiter monendum, *L. 4. C. de S. S. Trinitate*, quæ agit de auctoritate Conciliorum, nobis videri AntiChristianam; id tamen negari non potest, Episcopos in Conciliò congregatos non habere facultatem obligandi reliquos Cives ad placita sua recipiendâ sine decretò principis. Unde licet Princeps semel approbaverit decreta Concilii alicujus quoad adiaphora, voluntatem tamen suam postea mutare potest. Ejusmodi enim approbatione Princeps juri circa sacra non renunciavit, nec in manus Clericorum transtulit. Et ita nobis non obstat vulgata juris regula: Nihil magis naturale est, quàm eò modò aliquid dissolvi, quò colligatum est, cum hæc regula intelligenda sit de contractibus privatorum, non de iis, quæ Principi vi summi Imperii competunt. Et, quod magis mirandum, *eos Canones, qui in Apostolorum libris leguntur*, apparet non esse perpetuò observatos, nec hodie dum observari, quia scilicet non tam divi-

divinæ legis expositionem, quàm consilium illis temporibus accommodatum continere credebantur; Sic cum *Paulus* moneret, ne *Diaconissa* elegeretur, 60. annos nondum nata, *Justinianus* contra in *Novell. 123. c. 13.* permisit, ut eligatur, modò non sit infra 40. annos. Item cum *Paulus* monuerit, ut Episcopus sit *unius uxoris maritus*, moribus nostris vel *quatuor* vel *quinque* uxores ducunt nostri sacerdotes.

§. 13. Vidimus ergò hæctenus, quibus principis jus circa adiaphora sit fundatum. Sed jam catervatim dissentientes nos aggrediuntur. Duces præeunt *Havemann*, de *jure Episcopali. Tit. XI. §. 2.* *Carpzov. Jurispr. Consistor. Lib. 2. defm. 247.* *Consil. Witteberg. Vol. 1. part. 2. membr. 2. sect. 1.* *Meisner. tr. de adiaphor. disputat. 1. §. 33. 34. 35.* *Schilter. Instit. jur. Canon. Lib. 2. Tit. 1. §. 8.* autores vel nominibus suis & autoritate terrorem incutere apti, qui omnes negant, Principem vi summi imperii adiaphora vel mutare vel abrogare posse. Quid agemus? Pugnabimus, sed armis rationis & Christianissimi instructi. Ergò exspectemus primum ictum. Quomodo, ajunt, potest Principi competere vi summi imperii potestas circa adiaphora, cum læderetur hæc ratio *libertas Christiana*, omnibus Christianis communis? Annon impium est & Antichristicum, Principi adjudicare velle *dominium in conscientias*, cum tamen *religio* ex naturâ suâ nulli imperio humano possit esse subjecta? Instant, Ecclesiam non constare ex solò Principe, sed ex tribus statibus, Ecclesiasticò, Politico & Oeconomico; adeoque *jus mutandi adiaphora spectare ad universam Ecclesiam*, non ad solum principem, ut qui tantum est membrum Ecclesiæ. Provocant ultimò ad exempla *Regum Israeliticorum*, gravi pœnâ à Deò afflictorum eò quòd propriâ auctoritate in Ecclesiasticis quid mutare susceperint, *Gideonis Judic. c. 8.* *Saulis temerè sacrificantis 1. Samuel. 15.* *Oziz thura in auspicate accendentis 2. Chronic. 26.* ex quibus putant satis apparere, fieri invitò Deò, si Principes Christiani facultatem circa adiaphora sibi solis arrogarent, adeoque Principes nostros meritò

meritò abstinere ab ejusmodi exercitiò, quòd non nisi summam saperet tyrannidem, uti sunt verba Meisneri *d. tr. d. l.*

§. 14. Ne ergò more sophisticò procedamus, singulas rationes excutiemus, & quid solidi subit videbimus. Non autem miror, Havemannum ausum fuisse ista scribere, cum in *d. tr.* tantæ fuerit audaciæ, ut omne jus circa sacra Principibus adimere ferè, & solam Clericis parendi gloriam iis relinquere, non dubitaverit, in tantum, ut impium esse credat, casus matrimoniales judicio Jctorum relinquere, & ad Facultates Juridicas mitti. *Vid. Tit. XIII. §. 4.* Sed relinquamus hæc, & examinemus primum argumentum nobis oppositum, quòd ponunt in *lesione libertatis Christianæ*. Sed puto, libertatem Christianam hic tantum esse prætextum, & ex aliò fundamentò hòc ratiocinium profuere. Nam apud nos in confesso est, Principi competere jus condendi LL. Ecclesiasticas seu Consistoriales circa matrimonialia, reditus ordinis Ecclesiastici, visitationes, Consistoria, administrationem Elemosynarum &c. Brunnemann. *jur. Eccles. Lib. 1. c. 2. §. 24.* Schilter. *d. tr. Lib. 1. Tit. 2. §. 14.* Si ergò hæc jura Princeps exercere potest salvâ libertate Christianâ, cur violatur per LL. circa adiphora alia Ecclesiastica? Nisi quis vellet asserere, quòd tamen esset absurdum, hanc esse differentiam, quòd adiphora observanda veniant in *conventibus publicis* Christianorum, reliquæ verò LL. *extra eos*. Quis enim sibi imaginaretur, *libertatem Christianam esse adscriptam templis & Conventibus publicis*? Locus certè non potest inferre differentiam quoad libertatem Christianam, sed ubicunque locorum sint Christiani, sive in templo sive extra templum, ipsos comitatur libertas Christiana. Nec Christiani tantum sunt Christiani in templo, sed & extra illud in aliis negotiis. Et si adès sacræ præcisè inducerent libertatem Christianam, quam illi prætendunt, Civis Christianus in templo fortè testamentum condere volens non teneretur v. g. septem testes adhibere. Quòd & ipse Meisnerus odoratus videtur, dum *d. tr. disput. 1. §. 50. Si Ecclesia*, inquit,

inquit, *vel Magistratus Politicus propter bonum commune, cui ex officio præest, LL. quasdam de rebus mediis legitimas ritè promulgat, iis parendum omnino est, etiam propter conscientiam; eâ enim salvâ nemo vel facere sciens & prudens potest, quæ sic prohibentur, vel omittere, quæ sic præcipiuntur; neque propterea aut Ecclesie aut reip. Antistites imperium sibi in conscientias sumunt; non enim LL. ejusmodi interna libertas conscientia eripitur, sed externus libertatis usus propter circumstantias certas coercetur.* Quis autem hæc cum prioribus Meisneri connectet?

§. 15. *Secunda ratio, quâ nostram sententiam impugnant, est, quod putent, Principem hæc ratione arrogare sibi imperium in conscientias; quæ ratiocinatio satis dura, ut leniter dicam, mihi videtur. Quid sit conscientia, jam supra explicavimus, & ex eis facile patet, quid sit imperium in conscientias, sc. quando Princeps vel alius me cogere velit, ut iis assensum præbeam, à quibus tamen tanquam falsis intellectus meus abhorret, v. g. si Princeps Lutheranus subditos Reformatos aut vice versâ cogere vellet, ut eandem cum ipsò confessionem profiteantur, & eosdem sibi de Mysteriis religionis forment conceptus. Nam intellectus humanus à Deo adeò privilegiatus est, ut nulli imperio humano sit obnoxius; nam agnitio veritatis non nisi è causis mentis assensum elicere aptis nascitur, præsertim in mysteriis religionis Christianæ supra captum humanæ rationis positis, quæ singulari gratiâ Divinâ opus habent, ut mentem nostram convincant, illa autem gratiâ divina nequaquam violentis remediis conciliatur. Unde ut eadem sine mente sonum, ut gestum aliquem exprimam, aut ut sensa animi mei dissimulem, ut verba ab hisce discrepantia proferam, cogi possum; ut credam, cogi non possum. Nam ex toto corde credendum est *Actor.**

VIII. 37. Conciliatur autem illa gratiâ Divina, quando docens sincerè & ardentè desiderat, & precatur, ut Deus auditori gratiam Sp. sancti communicet; quando etiam auditores ipsi sinceri sunt, humiles, ad Deum conversi, ipsius gratiam ardentibus precibus desiderant. Unde tantum abest, ut coactio humana

D

inter-

internam veritatis Divinæ agnitionem in nobis producere possit, ut ne quidem Disputationes illæ Scholasticæ instantes & rixosæ, quæ vim aliorum cogitationibus inferre videntur, habiles sint ad illam in mente nostrâ operandam. *Poiret de erudit. solid. part. 3. §. 35.* Sed utinam hæc perpendifsent etiam Orthodoxi à tempore Constantini M. ad nostra; tunc certè non tot luctuosa exstarent exempla persecutionum ob diversos conceptus circa mysteria Religionis, de quibus Dn. Præses in *lectionibus publicis ad lib. 1. Cod.* latius egit. Sed injuriosi sunt in Principes, qui hujus vitii ipsos arguant ob dispositionem circa adiaphora. De adiaphoris *jus Divinum nihil disposuit*, nec hæc pertinent ad *conceptus intellectus*, sed ad arbitrium voluntatis, quod in rebus externis ejusmodi adiaphoris utiqve Principis imperio est obnoxium. Quemadmodum ergò dici nequit, Principem exercere imperium in conscientias, si civibus Christianis præscribat, quales solennitates in Contractibus, testamentis &c. observare debeant, ita nec nostrò casti. Est ergò abusus certè non facile excusabilis, quod dd. autòres *vocabulo imperii in conscientias adeò abutantur*, & sub eò pertinacem resistantiam palliare velint.

§. 16. Non melior autem est *tertia*, quam formant, objectio de naturâ & indole Ecclesiæ, quam concedimus *constare ex triplici Statu*, quamvis & hic quædam moneri possent, quæ studio omittimus. Sed negamus, *exinde quid contra nos concludi posse*. Familia constat ex tribus societatibus, conjugali, paternâ & herili, item Respublica constat ex multis familiis, vicis, pagis, urbibus &c. Quis autem inde argumentari vellet, quod Patrifamilias & Principi non competat potestas imperandi familiæ & Reip. Simillis autem est argumentatio dd. DD. Aliàs equidem novi, *argumentum à Rep. ad Ecclesiam non valere*, cum Princeps non sit caput Ecclesiæ uti est Reip. quod solidè demonstravit aureò suò tractu de *habit. religion. ad statum politicum* Dn. Pufendorff. Verùm cum dispositio adiaphororum pertineat ad jus circa sacra, quod Principi sine dubiò competit, puto, me ejusmodi instantiâ rectè potuisse elidere istud ratiocinium. Jus enim circa sacra competit

Prin-

Principi, qua tali, & non qua membro Ecclesiæ. Nam licet Princeps non esset membrum illius Ecclesiæ, v.g. Reformatus Lutherana, nihilominus competeret ipsi hoc jus. Unde, quod obiter notandum, non accurate satis loqui videntur Publicistæ qui Principibus Protestantibus Imperii nostri duplicem personam adscribere solent, aliam ut *Principibus*, aliam ut *Episcopis*. Vid. Dn. Praefid. in not. ad Monzamban. c. 5. §. 12. lit. x. Sed instat Carpzovius def. 247. n. 14. ex Menzer. in Exeges. August. Confession. art. 16. & Rein-king. de Regim. secul. & Eccles. class. 1. c. 6. n. 5. gubernationem Ecclesiæ nec Monarchicam, nec democraticam, sed *Aristocraticam* esse debere. Sed nolo opponere Carpzovium Carpzovio, nam dum ipse supra statuit, in mutationem adiaphororum, & Statum Ecclesiasticum & politicum & Oeconomicum consentire debere, certe dicere non debuisset, ex suâ hypothesi, gubernationem Ecclesiæ esse aristocraticam. Sed potius allegabo verba Pufendorffii de habit. religionis §. 32. in f. *Absurda sunt quæstiones, Monarchica, aristocratica an democratica forma competat Ecclesiæ. He quippe forme cadunt in Statum Politicum, qui est conjunctio plurimum hominum, imperio per homines administrato sibi proprio & aliunde non dependente adherens. Sed structura, qua in Ecclesiâ reperitur, planè est diversa indolis.* Si autem quis ex me quærat, ad quem modum administrandi pertineat jus circa sacra & adiaphora? Respondeo, si Republica, in quâ est Ecclesia, est democratica, tunc pertinet ad Democraticum, & sic de cæteris. Nam jus hoc est pars summæ imperii, ergo eodem modo exercetur, quò reliquæ partes summæ imperii.

§. 17. Necessarium quidem non esset, ut ad quartam objectionem responderemus, cum jam in antecessum monuerimus §. 6. quid de ejusmodi ratiocinationibus statuendum sit. Nihilominus, tamen, ne quid dubium remaneat, illam iterum considerabimus, præsertim cum tam Theologi quam Jcti hactenus eò argumentò semper usi sint in similibus casibus, cujus tamen vanitas facile in sensûs quasi incurrit. Nam eò ipsò, quod Deus religionem Judaicam ejusque ritus externos adornaverat, ac

ferenissimâ lege sanxerat, nemini mortalium potestas compete-
bat eos alterandi, aut quid eidem addendi demendive, adeò ut
rectè dici possit, *in Religione Judaicâ nulla fuisse adiaphora*, dum o-
mnia ex expressò Dei institutò gubernanda erant, ita ut *ne qui-*
dem consensu sacerdotum & reliquorum Judæorum aliis externis ri-
tibus illam vestire liceret, quàm Deus instituerat. *Christus autem*
& Apostoli nunquam interdixerunt, aliis adiaphoris uti circa exercitium
cultus Christiani; nam si hoc fecissent, non tantum Principes no-
stri peccarent, si illa introducere vellent, sed omnia, quotquot
unquam fuerunt Concilia, & Episcopi in iis congregati gravis
criminis fuissent obnoxii, quemadmodum illi Sacerdotes apud
Judæos, qui alios ritus introducere volebant. Vides ergo, quàm
incauti sint illi, qui pœnas illorum Regum Israëlitarum ad Prin-
cipes Christianos applicare solent. Et si applicare vellent, id fa-
ciendum esset eò casu, quando Princeps sibi arrogare vellet ea,
quæ sunt ordinis, ut vocant, jus baptizandi, S. cœnam admini-
strandi, & reliquos actus ministeriales ad Ministros Dei spe-
ctantes, quorum numero utique Princeps est exclusus, adeò ut
imperium cum sacerdotiò in unam personam coincidere non pos-
se statuamus, quod latius deduxit Dn. Præses *in not. ad Monzamban.*
Cæterum operæ pretium non est, reliquas rationes, quæ in
dd. autoribus exstant, præsertim *in Consil. Wittebergens.* excute-
re; sunt enim similis farinae. Progrediemur ergo ad

Caput II.

DE MODO EXERCENDI JUS CIRCA ADIAPHORA ET QUÆSTIO- NIBUS SPECIALIBUS EX FUNDAMEN- TIS CAPITIS I. DEFINITIS.

SUMMARIA.

Caveat princeps, ne hujus juris exercitio intempestivè utatur, neve
plebs per Clerum excitata seditionem excitet, *Exempla hujus rei.*
Consi-

Consilium Wittebergenſium parum Chriſtianum. Respondetur objectioni de metu, ne progressus fiat ad ulteriora, verbis Brun- nemanni. §. 1. Princeps operam dabit scientia separandi adia- phora à non adia-phoris. Testimonia Gregorii Nazianzeni & Grotii, quam facile Theologia vera possit à Principe addisci. Etiam Ethnicus facile discere potest, quanam inter Christianos sint adia- phora, qua minus. §. 2. Princeps consilia aliorum adhibebit, & operam dabit ut plebs in promulgatione legis de jure principis informetur. Seneca monitum: Rex jubeat, non dispatet. Dispu- tationes ratiöse Justiniani. Non tamen sequatur cæco impetu consiliarios. Clerici obtrudentes in ejusmodi negotiis consilia sunt rei affectati imperii Civilis. §. 3. Princeps operam dabit, ut adia-phora scandalosa abrogentur. Adia-phora duplicis gene- ris, quædam præcepto, quædam prohibitioni propiora. Illa in- trodúcenda, hæc abroganda. Potius abrogationi, quam intro- ductioni studendum. Respondetur objectioni, infirmos non esse offendendos. §. 4. Princeps curabit, ut Ministri verbi Populum informet de naturâ adia-phororum. Jure suo Principem hæc facere, & injungere etiam Ministerio, teste Brunnemanno, tra- ctare pietatem & moralia. Si sacerdotes hic prætendant scan- dalum proprium, scandalum hoc esse acceptum, nec obstare juri Principis. Retorquetur argumentum de scandalo, & ostendi- tur, ob scandalum aliorum omittenda esse adia-phora alios scan- dalizantia. Impia sapientia, inculcans saltandum esse in diuinum Calvinianorum. §. 5. Ex dictis deducitur (1) Principem Ev- angelicum posse in territorio suo introducere Calendarium Gre- gorianam. Respondetur dissentienti Havemanno. Autoritas Conciliorum intuitu adia-phororum. Calendarium Gregoria- num non pertinere ad entia Anti-Chriſti, &c. §. 6. (2) Juri Principis subesse Musicam Ecclesiasticam. Querela Brunne- manni & Duareni de abusu hujus Musices. Cautela contra Witte- bergenſes. §. 7. (3) Spectare ad Principem dispositionem cir- ca vestimenta Ministrorum. Non spectare talia vestimenta ad splendorem Ecclesia. Malè referri ea inter res sacras. §. 8. (4)

Pertinere ad principem dispositionem circa imagines. Abusum imaginum esse apud nos. Interesse, ut præceptum de non adorandis imaginibus exprimeretur in Catechismo nostro. Superstitionem sapere, si homines caput inclinent coram altari. Respondetur distinctioni Lipsiensium §. 9. (5) Canticiones Latinas justè abrogari, consensu Brunnemanni & Illustris Strykii. Notatur Zelus intempestivus Meisneri. §. 10. (6) Exorcismum tanquam rem adiaphoram principis potestati subesse, teste Brunnemanno & Dn. Strykio. Turba Saxonica ab Exorcismum. Casus nonnulli huc pertinentes aliter decisi ac à Theologis apud Dedekennum. §. 11. (7) Principem posse mutare confessionem privatam & nummum confessionarium. Conclusio. §. 12.

S. I.



Am in omnibus quæstionibus circa jura Principum justitia cum utilitate & prudentiâ non est confundenda. Sic Princeps sæpius ob injuriam illatam habet justam belli causam, ratio tamen Statûs & reip. non permittit, ut illud in præsentisuscipiatur, & ideò Principem omnes circumstantias facti suarumque virum legitime perpendere oportet, an reip. expediat periculo belli se exponere, an verò injuriam paulisper concoquere, & ejus executionem in aliud tempus commodius differre. Idem contingit circa jus nostrum de adiaphoris, ut rectè perpendit *Græc. de jure circa sacra cap. 6. §. 1.* Facile enim contingere potest, ut turba & seditiones in republicâ oriantur, cum plebs superstitioni plerumque dedita rebus externis & adiaphoris nescio quam singularem sanctitatem & cultum tribuere soleat, & ideò religioni vim inferri per earum mutationem sibi imagnetur, præsertim si à Clericis, à quorum voluntate & arbitrio animi ipsius plerumque pendere solent, in eâ persuasione confirmatur. Quantas turbas excitârît remotio imaginum è templis sub Leone Isauro, historia Ecclesiastica satis docet, dum populus à Clerô instigatus eo licentiâ progressus est, ut operarios imaginem Salvatoris alicubi

cubi dimoventes, occiderint, & Pontifex Romanus Imperatorem propositi sui tenacem ex communicarit, tributa Italiae ei debita inhibuerit, parum Apostolico more, uti loquitur Historia Ecclesiastica Gothana *Lib. 2. c. 3. sect. 7. §. 4.* De motibus, ni fallor, *Marpurgensibus eadem occasione ortis* videri potest Hospinianus in *Concordia discorde*, ut alios taceamus, qui ex intempestivo Zelô Cleri, etiam Protestantis, excitati sunt. Consilium enim Theologicum minus Theologicum *apud Dedekenn. P. 2. Tit. 5. de Exorcismo*, ubi ventilatur quaestio, *quid Pastori sit faciendum, si à Principe ipsi injungatur, ut omittat Exorcismum, si Parentes infantis baptizandâ illud desiderarint*, satis indicat consultorum animum, dum non erubescunt scribere, si Princeps velit refractarium ejusmodi Pastorem ab officio remove, *tunc totum Ministerium ipsi adherere debere, & si Princeps nihilominus urgeat remotionem istius Pastoris, Ministerium ipsius partes nihilominus defendere debere, & sine dubio Statûs Provinciales ipsis quoque accessuros, ut ita fortius impediatur, ne Principi obedire necessum sit.* An ejusmodi consilium ab illis, qui Christianismum profitentur, dari potuerit, ego non video, nisi quis statueret velit, impietatem & seditionem cum ipso Christianismo subsistere posse. Videant illi, qui dederunt. Sed metuendum est, ajunt, ne progressus fiat ad ulteriora, & ad ipsam confessionis ex mente Reformationum mutationem, si in uno pareatur. Respondet piè & graviter B. Brunniemannus *de jur. Eccles. lib. 1. c. 2. §. 31.* *Mundana hæc prudentia est. Facias & pareas in omnibus, quæ ex utâ parte non lædunt pietatem. Cetera pervigili prudentia Divina committenda, & si tandem sequantur imperata, quibus bonâ conscientia parere non possit, tunc tempus erit Apostolicam regulam sequi: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Omnino enim indigna subdito vox est: Latitat anguis sub herbâ, aliud Princeps intendit, ac verbis præ se fert, quò ipso sacrilegii crimen vix evitatur. Credendum enim verbis Principis pariter est, ac ipsius juramento, & bona quaque de Principe præsumenda, donec emergerit quicquam, quod conscientia ac veritati religionis adversum. Ut ergo periculum istud evitetur, de normâ hujus juris quædam differemus.*

§. 2. Ut ergo Princeps jus suum circa adiaphora rectè exerceat, opus habet ante omnia *intellectu rerum sacrarum, ne prætextu adiaphororum latius evagetur*, quàm indoles Christianismi patiatur, & circa ipsa interna, ut vocant, religionis quid disponat. Hæc enim ipsius imperio sunt exempta, ut supra jam monuimus. Si enim nullus sani cerebri Princeps pronunciare potest in controversiâ aliquâ philosophicâ, si hujus disciplinæ est ignarus, quâ fronte circa adiaphora disponet, si nesciat, quid & quænam sint adiaphora in rebus Theologicis? Sed fortè quis nobis objiciet, moraliter esse impossibile, *ut tantam rerum Theologicarum notitiam sibi acquirat Princeps* aliorum negotiorum mole obrutus. Nam, si Dn. Conring. *de judiciis Germanicis* jam notavit, Principes Germanicos jus Romanum addiscere non posse, ob hujus doctrinæ prolixitatem & aulicæ educationis ruditatem (verba Conringii refero,) nimis ingens videtur postulatum, Principes adstringere velle, ut Venerandæ Theologiæ penetralia adeant, & controversiis Theologicis sese immisceant. Hanc objectionem diluere, placet verbis Gregorii Nazianzeni allegati à Grot. *d. tr. c. 5. §. 9.* Theologia, inquit, *est religio res est simplex & nuda, sine magnò artificio divinis constans testimoniis, quam tamen prævè quidam convertunt in artem difficillimam.* Addit de suo Grotius: *Nam sunt & alia partim Metaphysica, partim historica, partim Grammatica, quæ à Theologis solent magnis contentionibus & clamoribus agitari, quibus implicari Principis animum, minimè necesse est, non magis sanè quàm juris apicibus, cum tamen τὰ πρώτα juris, Regi omninò scitu sint necessaria.* Nam quæ, ut ait Apostolus *1. Timoth. 1.* controversias magis præbent & lites, quàm ædificationem, quæ est per fidem, tuto & secure seponat. Rem acu tetigit Vir Summus, cui ut quid addamus, necessarium non est ad institutum nostrum. Et hoc modò satis puto prospici rei Christianæ contra invasiones *Principum Gentilium*, quibus supra etiam jus circa sacra tribuimus. Si enim hanc methodum observat, quam jam indicavimus, nullum est periculum, ne conscientias Christianorum vis inferatur, præsertim si adhibeat consilium Christianorum, ipsorumque informationem. Licet enim
non

non complecti velit Christianismum, facile tamen edoceri potest, quid Christiana religio habeat pro adiaphoro, quid non? Quanquam enim homo Spiritu Divino regenitus, aptissimus sit rerum spiritualium iudex, & omne rectum de rebus divinis iudicium homini divinitus contingat, nihil tamen obstat, quo minus Princeps sensum communem & naturalem rationem in consilium adhibens, & paulisper animum suum à præjudicio liberans, facile cognoscere possit, quid in Christianismo habeatur pro adiaphoro, quid pro præcepto aut prohibito.

§. 3. Unde & consultum est, Principem non tantum proprio suo iudicio niti, *sed & Ministros suos aliosque Christianos pietate præcipue insignes eruditione, ac temperato animo præditos consulere.* Non omnia enim unus videt, non audit. Si enim hæc observare debet in rebus prophanis & merè politicis, quanto magis, ubi periculosissime erratur? Et cum multitudo externâ plerumque religione capta, melius vatibus quam Ducibus suis parere soleat, prudentiæ est, prospicere, *ut ea super jure Imperantis & natura adiaphororum in ipsa promulgatione legis perspicue informetur,* ne postea ea reformatione offendatur. Alias quidem rectè monet Seneca, proæmia LL. improbans; *Lex jubeat, non disputet.* Sed id quidem in merè secularibus locum habere potest, (quanquam Justinianus noster liberalitate sua nos obruerit, & rationes ac causas impellentes largiter satis, imò nonnunquam ad nauseam, suis constitutionibus præmittat,) in hac tamen materia Cautela supra dicta admodum utilis est, *ne plebs sibi persuadeat, religioni suæ periculum mutationis imminere.* Quia tamen nihil perniciosius est, quam si Princeps omnia agat ex aliorum duntaxat iudicio, cum exemplis confitet, quantopere Principes ingenio cætera probo & miti, ad sævitiam in infantes exercendam compulsi sint ab hominibus stolidum impetum, aut immanem malitiam sub sanctimoniarum professione occultantibus, hinc Princeps quidem consulere potest alios tum Ecclesiasticos tum Politicos, *sed soli ipsorum iudicio acquiescendum ipsi non est.* Nam Principem præcisè non obligatum

E

esse,

esse, ut ejusmodi consista sequatur, ex superioribus patet. Nam illi Clerici, qui putant, omnino sequenda de ejusmodi rebus sua judicia impudenter suspectos se reddunt affectati imperii Civilis, à quo merito illos deterrere deberet illud Christi: Vos autem non sic. Loca, quæ in hunc finem pro suâ sententiâ ex Veteri Testamento allegare solent, nihil huc faciunt, & refutata sunt à Grotio *d. tr. c. 6. §. 7. &c.*

§. 4. Quemadmodum autem Principis suprema lex est, aut certè esse debet, salus populi, ita & circa adiaphora salutem-subditorum intendere debet, quò maximè facit, si inutiles, & ad superstitionem magis, quàm adificationem inclinantes & disponentes ceremonias abroget, quas nec ipsa Formula concordiz pro veris adiaphoris habet *Tit. X.* & quales hodie dum multas in Templis Lutheranorum obtinere, experientia testatur & observatio Brunnemanni *in Jure Ecclesiastico passim*. Nam etsi, quæ adiaphora dicuntur, inter præcepta & prohibita quasi intermedia jaceant, tamen istud medium non intelligendum est in puncto, sed cum aliquâ laxitate, ita ut modò prohibitioni modò præceptioni sit propinquius, ferè ut peripatetici mediocritatem suam virtutis explicant. Nam quæ ædificationem aut finem conventuum Christianorum, etsi non necessariò promonent, sed per accidens, à præceptis religionis Christianæ propiùs absunt, quæ è contrariò impediunt, prohibitioni propiora sunt, adeoque illa laudatius introducuntur, hæc abrogantur. Hinc & eleganter *Illustris Dn. Cancellarius de Jenâ de ratione statûs dissert. 19. Conclus. 7.* Quia in externâ disciplinâ, inquit, & ceremoniis non voluit sigillatim præscribere nobis Dominus, quid sequi debeamus, confugere hic oportet ad generales, quas dedit regulas, ut ad eas exigantur, quacûnque ad ordinem & decorum præcipi necessitas Ecclesie postulabit. Cautelâ hic opus, ne sub ceremoniarum nomine mantelove, superstitio, incantatio, gesticulatio, sacramentorum corruptio, & suspecta formula in Ecclesiam introducantur. Unde rectè & prudenter facit Princeps, si in memoriam sibi revocet dictum Pauli *Coloss. 2. vers. 21. 22. 23. & 1. Timoth. 4. vers. 3. 4.* & prospiciat, ne nimiam

adia-

adiaphororum multitudine obruantur Christiani, aut si jam obruti sint, ut eos liberet, nec Clericis aures præbeat, Quasi infirmiores scandalizentur aut offendantur. Hic enim est prætextus, quò plerique usi sunt contra Principes ad ligandas ipsis manus, ne jus suum circa adiaphora exercerent, sed ab arbitriò ipsorum dependere. Nam si investigemus originem istius scandali, certè Clerici sunt in culpâ, quod plebs ejusmodi principiis sit imbuta, ut scandalum inde accipiat. Si enim Auditores suos de naturâ adiaphororum ritè informarent, quid obstaret, quò minus scandalum illud cessaret? Pietatem veram urgeant, & nemo tunc offendetur. Nam in homiliis ad populum pietatis studium plerumque non satis inculcari, & ejus locò oratoriis pigmentis & figuris Rhetoricis sermones colorari pluribus verbis notavit B. Brunnemann. *d. tr. Lib. 1. c. 6. membr. 1. §. 4. & seqq.* An & fortè doctrina de adiaphoris idè plerumque negligitur, quod sacerdotibus parùm quæstuosum sit per solam animi puritatem vitamque honestè exactam Numine posse uti propitio? aliis judicandum relinquo.

§. 5. Pertinebit igitur ad prudentiam quoque Principis, ut in tempore Ministris verbi injungat, quo Populum frequenter informet de naturâ adiaphororum. Fecit id sapientissimè Potentissimus Elector Brandenburgicus in Ordinatione Ecclesiastica Ducatus Magdeburgici tit. 2. princ. cujus verba dissertationi nostræ jam præmisimus. An autem ea diligenter observetur, ego quidem ignoro. Ubi tamen eâ admonitio & doctrina à Clericis negligitur, ibi non solum prudenter, sed & justè, Principem injungere posse arbitror, ut diligentius tractetur hæc materia, ut animi rudis plebeculæ à principiis superstitiosis purgentur, & conceptu veræ pietatis & Christianismi imbuantur. Non est, quod Principi objicere possint, ipsi non competere jus præscribendi normam concionandi, cum conciones pertineant ad interna religionis Christianæ, circa quæ Princeps impiè sibi jus disponenti arroget. Nam supra jam monuimus, distinctionem hanc anam præbere litibus, & tantum considerandum esse, an

quid sit contra jus Divinum & Christianismum, nec ne. Jam tantum abest, ut hoc Principis mandatum contrarietur Christianismo, ut potius eum promoveat. Si enim sacerdotes officio suo non rite fungantur, & inanes potius *controversias theoreticas*, quam *Theologiam moralem* tractent in suis concionibus, Princeps vi juris circa sacra eos in ordinem redigere, & officii sui admonere valet. Si enim hæc non posset, quid ipsi prodesset jus circa sacra? Et, si Princeps nudus esset defensor & Advocatus Ecclesiæ, jus circa sacra nihil esset nisi inane nomen. Revera enim tunc Princeps dependeret ab autoritate & imperio ambitiosorum Clericorum. Hinc pium etiam est monitum B. Brunnemanni *d. tr. Lib. 1. c. 6. membr. 1. S. 15. Magistratui incumbit, ut cum viderit frigere Ministerium in castigandis vitiis, in urgenda serietà pietate, & studio bonorum operum, etiam illud sui officii admonerit. Superbia indicium certissimum, nolle corrigi & admoneri.* Unde equidem statuo, erroneæ plebis conscientię aliquid indulgendum esse, sed cum apta sint media ad errorem illum eximendum, illis uti oportet sacerdotes, & si refragentur, cogere potest Princeps. Dum enim *resistere volunt Principi justa precipienti*, nec doctrinam de adiaphoris satis auditoribus suis inculcare, satis animum suum malignum ostendunt. Puto enim, si duabus aut tribus concionibus hæc materia solidè tractetur, plebem facillè ad meliorem mentem redigi posse, ne abrogatione inutilium ceremoniarum offendatur; sin ipsi sacerdotes *scandalum proprium* obtendere vellent, statuentes, cum soli Principi non competat jus disponendi circa adiaphora, se salvâ conscientiâ Principi permittere non posse, ut illud exerceat, illos rogo, ut rationes suprâ contra hanc sententiam prolatas, excutiant, & eas resolvant, aut si resolvere nequeant, errorem suum agnoscant. Si enim non melioribus armis pro hacce suâ sententiâ uterentur, quàm Autores suprâ citati, non haberent, quod pugnarent. Et si fatendum, quod res est, scandalum, quod hic prætextitur in plebe, Principi obstaculo esse non posse videtur. Est enim tantum

tantum acceptum, non datum scandalum. Jam ni fallor, ipsi Theologi formant regulam de scandalo accepto: *Ob scandala accepta, quod pium, & honestum est, omitti non debet aut potest.* Jam ceremonias superstitionem redolentes abrogare, est pium & honestum; & bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. *Vid. Catechesin Dederici de scandalo.* Nec nobis obstat, quod Paulus dicat, *se velle vel nunquam carnem comedere, si infirmior frater scandalizetur.* Est enim inter hunc casum & nostrum ratio disparitatis. Carnem comedere est res planè indifferens, sed superstitionem abrogare, est res laudabilis. Nullibi autem legitur, Paulum unquam abstinuisse à re per se bonâ ideo quod fortè alius scandalum inde accepturus esset. Sed potius docet S. scriptura, cum Judæi ab ipso urgerent circumcissionem tanquam necessariam; ipsum illis cedere noluisse, tanquam in re jam in superstitionem inclinante. *Galat. 2. v. 5.* Quid Ergò obstat, quo minus, non attento illo scandalo accepto, jure suo uti posset Princeps? Quemadmodum enim Paulus Judæis gratificari noluit, ita nec Princeps ad id tenetur. Unde mihi admodum probabile videtur, hunc obtentum scandali accepti ex eodem fonte profluxisse, ex quo ab usum vocabuli conscientia ortum esse, supra docuimus. Si enim scandalum illud acceptum verà causa est hujus rei, cur non etiam obervitandum scandalum in animis Reformatorum, quibusdam ceremoniis in nostra Ecclesia abstinemus? Novi enim quosdam Reformatos, qui partes Patrinorum in baptismo infantis Lutherani ob exorcismum suscipere semper recusarunt. Aut cur in gratiam parentum Lutheranorum exorcismi omissionem desiderantium, illum omittere noluerunt Wittebergenfes loco supra citato? Vides ergò, anguem latere sub herbâ, & aliud quid subesse, quàm scandalum illud infirmiorum. Et, si opponere vellent, Reformatos esse extra gremium veræ Ecclesiæ, & sic illorum scandalum non esse attendendum, responderem, Patulum etiam admonuisse suos Auditores, ne Gentilibus scandalum præberent *1. Cor. 10. vers. 32. 33.* ut alias responsiones omittam, quæ peti

possunt ex tr. Dn. Præsidi von Lutherischer und Reformirter Fürstl. Personen Heyrath. Und præbetur mihi ansa suspicandi, hanc doctrinam sapere illorum philosophiam qui in nostra Ecclesia in odium Calvinianorum, ut ajunt, saltare solent, in opprobrium suum & nostrum.

§. 6. Pergamus nunc ad quæstiones speciales, & ostendamus quomodo in exemplis quibusdam ex fundamentis hætenus & potissimum capite primo expositis deducendæ conclusiones quædam controversæ & à Theologis sectæ nostræ communiter negatæ. Primum exemplum esto de *Calendario Gregoriano*, an Princeps Evangelicus illud in suo territorio recipere, & secundum illud festa celebrare possit? Nos principiis superioribus innixi, intrepidè affirmamus; utrum enim festa celebrentur ex stylo Veteris Calendarii, an novi, perinde est Christianismo. Religioni hic nec seritur, nec metitur; id quod eo magis Princeps facere potest, si quædam territoria possideat, in quibus Gregorianum Calendarium jam est in usu. Constitutio enim solemnium illarum feriarum est regale Principis. Cultui divino non præjudicatur, utrum festum v.g. Paschatos hoc aut illo die celebretur. Sed occurritur nobis ab Havemannò in tr. cit. c. XI. §. 4. ubi Magistratui Politico hoc jus adimere, manibus pedibusque laborat. Illud quidem, inquit, Princeps præcipere potest, ut festi dies observentur; at qua nam sint illa festa, & quando, quibusque diebus celebranda, discernere non potest Magistratus, inconsulto Ministerio. Utitur argumento ex concilio Nicæno desumpto & in eo de die Paschatis celebrando deliberatum & decretum esse; illud autem Concilium non ex Principibus & Politicis constituisse, sed Episcopis. Sed supra jam monuimus, quatenus Concilia disponant de rebus adiaphoris, eatenus indigere confirmatione Principis ad producendam vim obligandi in reliquis subditis. Episcopi enim nullum jus habent reliquos Christianos obligandi, ut consentiant cum ipsis in ejusmodi rebus adiaphoris, aut si illud prætendant, falcem in alienam messem mittunt.

Dein-

Deinde multa dubia sunt contra integritatem Concilii Niczani, cum immensum quantum recesserit à methodo, quam Apostoli in sancto illo Concilio Hierosolymitano observarunt, ita ut quis non adeo secure ad auctoritatem Concilii illius Niczani provocare possit. Leges, quæ etiamnum exstant in Codice tam Theodosiano quam Justiniano, satis docent, quæ methodo usi fuerint illi Episcopi in propagandis Concilii istius decretis. Instat Havemann. *Calendarium novum nulli Christiano obtrudi posse, eo quod sit Gregorii Pontificis, Pontifex autem sit Anti-Christus, & sic si Princeps vellet introducere Calendarium Gregorianum, illum approbare ea, quæ sunt Anti-Christi.* Sed quis non mireatur ejusmodi argumenti? Ipse Havemann. pro probanda sua sententia allegat ex jure Canonico *cap. Licet X. de feriis, qui Liber à Gregorio IX. est confectus, qui non melioris indolis fuit, quam Gregorius Autor Calendarii nostri.* Ergo eadem operâ, quæ ille Principes Gregorianum Calendarium introducetes, AntiChristianismi accusat, se ipsum hujus criminis arguit, & omnes insimul illos Protestantes, secundum quos jus Canonicum in causis Ecclesiasticis est receptum. Sed quò nos non rapit furor affectuum? Quò etiam pertinet, quod tertio opponit, *in Calendario, multos homines impios relatos esse in numerum sanctorum, unde nec refutationem meretur, sicut nec illud, quòd dicit, ad ductum Calendarii Gregoriani Pascha aliquando celebrari cum Judæis, & Quarta-decimanis Hereticis.* Quid inde? an illud impium, an contra Christianismum? Consentiant cum Havemannò Wittbergenenses *apud Dedekenn. volum. 1. Tert. 6. n. 1. & 2.* Cum autem eadem argumenta proferant, nolumus eorum refutationi immorari.

§. §. Ad adiaphora Ecclesiastica referimus quoque *Musica Instrumentalem in templis usitari solitam, & inde subiacere dispositioni Principis statuimus.* Lubet allegare verba B. Brunnemanni, ut pateat, quàm justa adsit causa, quare Princeps circa eam disponere possit. Sic ille *de jure Eccles. Lib. 1. c. 6. membr. 8. §. 4. In omnibus, inquit, Ecclesiis hoc præcipue spectandum,*

ut omnia ad ædificationem Ecclesiæ fiant; quicquid autem ad Ecclesiæ ædificationem non facit, illud ineptum est. Sic ergo inepta est Musica, sive Organica sive aliâ Instrumentalis, nisi vox humana concinat, ut sciat Ecclesiæ, quid canatur, & possit dicere Amen. In Latino Idiomate cantare quid hoc ad devotionem excitandam facit? Aures quidem mulcet ista Musica, sed animum non penetrat, & passim audiuntur Italica concerta, Passemeza, Villanella &c. in templis, quæ quia aures mulcent, solent nonnullis placere. Sed quid Saul inter Prophetas? Addit §. 6. Interea, dum Organista in Organò ludit, & variat, Auditores partim ad oculos hinc inde proferendos, partim ad dulcem somnum capiendum disponuntur, & hæc nostri temporis est devotio. Hactenus Brunnemannus. Similia sunt, quæ habet Jctus Pontificius Duarenus de sacr. Eccles. Ministris. lib. 1. c. 14. Sobria, inquit, illa Musica, & pronuntiationi vicinior, quam cantui facit, ut verborum sensus efficacius influat in animos Auditorum, non illa operosa & Theatrica, quæ hoc tempore in Ecclesiæ frequentatur; & paulò post: Hodie sic ista modulatio ubique probatur, ut inter omnia Ecclesiæ Ministeria tanquam præcipuum & maximè necessarium habeatur celebreturq;. Nolumus nos interim immiscere controversiæ, an organa & reliquæ Musica Instrumentalis sit contra Christianismum? Instituto nostro sufficit, si obtinuerimus, Musicam illam minimum pertinere ad adiaphora, & ideo Principem vi summi Imperii posse circa eam disponere. Illud puto etiam nemo facile negabit, in multis Templis magnum esse abusum illius Musicæ, & multos Cantores sibi imaginari, se multum eâ contribuere ad honorem Dei, licet ipsorum animus durante Musicâ longè alienus sit à verâ devotione & pietate, quæ sunt vera sacrificia Deo placentia. Reliqua, quantis curis quantisque sumptibus parentur, displicent. Et hoc modo evitare possumus gravem censuram Wittebergenfium apud Dedekenn. Vol. 1. Lib. 2. membr. 2. sect. 6. n. 6.

§. 8. Idem nostrum iudicium de certis vestimentorum generibus, quibus Ministri uti solent; quæ & ipse Magnif. Dn. Stryk. ad Brunnem. d. l. §. 9. ad adiaphora refert. Quod si attentius

ca

ea consideres magis ad abusum quam verum usum ædificationis inclinare, apparebit. Nam quod plerumque dicitur, *illa facere ad externum splendorem Ecclesie*, Christianismum parum sapit, qui desiderat animum ob omni externò splendore & pompâ abstrahentem. Nec erravero, si dixerim, *hanc consuetudinem à Clero esse inventam, ad conciliandam sibi apud Laicos* (loquor Stylò Juris Canonici) *autoritatem & venerationem quandam*, licet Pontificii alias reddere soleant rationes pro justificandis illis, prout legere licet apud Durand: *in ration. Divin. offic. Lib. 3. c. 1. Cardin. Bonam de rebus Liturgicis Lib. 1. c. 24.* Puto, magis parum & Christianum esse, aliis rebus, quam vestimentis venerationem in aliorum animis excitare, more Apostolicò, de quorum cingulis aliisque quotidianis vestibus quidem legimus, non autem de peculiari formâ, figurâ, materiâ, colore vestium, quibus ab aliis Civibus & Christianis distinguerentur. *Vid. Voët. polit. Eccles. P. 1. lib. 4. Tr. 4. c. 4.* Et probabile est, quò tempore distinctio inter Clericos & Laicos orta est, etiam hunc ritum originem duxisse. Illud autem magis dolendum, *quod ejusmodi vestes inter res sacras referantur à Jctis etiam Protestantibus*, quod certè sapit Papismum aut gentilismum. Quid enim Saul inter Prophetas? Quid vestimenta inter sacra? Et licet Stylò juris Canonici & Romani inter Res sacras sint referendæ, meritò tamèn ab ejusmodi locutione abstinere deberent Protestantes, & nullas res sacras agnoscere, quas non agnoscit Scriptura S. Sed quemadmodum, Tribonianus ex Jctis Gentilibus digestis suis multa inseruit, quæ gentilismum redolent, ita & Jcti nostri post reformationem multa principia Papistica in jurisprudentiâ Ecclesiasticâ retinuerunt, ita ut in mediò Protestantium habeamus jus Ecclesiasticum papizans.

§. 9. *Imagines in templis etiam pertinent ad classẽ adiaphorum*, communi nostratum consensu, quamvis negari nequeat, magis inclinare ad superstitionem, quam ædificationem apud plebem. Maximoperè à Pontificibus Romanis causam, imaginum contra Græcos Imperatores esse defensam, supra jam

innuimus, præcipuè quòd utilissimum judicarentur instrumentum, superficiariis pietatis ritibus imbuendæ rudi plebeculæ. Utinam de nonnullis nostratium eadem querelâ opus non haberemus. Nam monstrat quotidiana experientia, non paucos inter nos Lutheranos imaginum venerationi nimium esse deditos, & parum abesse à superstitione Pontificiorum. Unde & optandum esset, ut *præceptum illud de non adorandis imaginibus majori curâ ac studiò inculcaretur*, quàm plerumque fieri videmus. Abstraherentur enim magis animi ab externis illis ad interiora. Et hinc puto satis esse causâ, ut in Catechismò Lutheranorum hoc ipsum præceptum jussu Principis Evangelici exprimeretur, & litigium illud *de distinctione præceptorum decalogi* omitteretur. Nec enim Luthero imputandum, quòd ille præceptum hoc omiserit. Quia enim hætenus in Papatu ei ordini, quem hodiè Lutherani sequuntur, assuetus fuit, nec omnes defectus Papismi simul vidit, illum retinuit; licet aliàs satis graviter contra cultum imaginum & prædicârît & scripsêrit. Unde & nullus dubito, quàm Princeps consuetudinem multorum locorum, *quâ homines prætereuntes altare, caput inclinare, & imagines ibi positas quasi salutare solent*, abrogare possit. Distinctio, quam adhibent Lipsienses *apud Dedekenn. Volum. 3. pag. 660.* inter *adorationem & venerationem* seu reverentiam moralem & ceremonialem, subtilior est, quàm ut à rudi plebis animò satis percipi possit. Quare tantum abest, ut Sacerdotes impedire deberent ejus abrogationem, *ut Principem potius ad eam adhortari ex regulis veræ pietatis tenerentur.*

§. 10. Suprà jam indicavimus, Musicam Instrumentalem esse rem adiaphoram. Idem judicamus de *cantionibus Latinis*, ita tamen ut plus habere abusus, quàm veri usûs videantur. *Dolendum est*, inquit Brunnemann. *d. tr. lib. 1. c. 6. membr. 8. §. 9. reventam fuisse ex Romanò-Cathòlicâ Ecclesiâ Linguam Latinam in sacris*, & Dn. Stryk. *in not. d. l. n. 4.*, postquam allegaverat sententiam Mengeringi pro Cantionibus Latinis retinendis, addit: *Præstabat speciales horas ejusmodi cantionibus Latinis destinasse, quò bujus Linguae*

Lingua gnari se presentes sfferere valeant; in ipsò enim cœtu collecto consultius est, majoris populi partis rationem habere, & hujus intellectui conformare cantica, quàm ad paucos, Latine lingua gnaros respicere. Respondere voluisse videtur Vir Illustris illis, qui pro retinendis his cantionibus inter alia provocare solent ad usum, qui ad juventutem Scholasticam ex illis redundet, dum ita in scholis non tantum sed & in templis ejus studia & profectus promoveri statuunt, *Vid. Meisner. de adiaphor. Disputat. 4. §. 22.* Et certè mirandum est, Viros Celebres non dubitare miseras ejusmodi ratiunculas afferre, & ritus quosdam inanes iisdem superstruere, Latina Lingva tantum non æstimanda videtur, ut & ejus addiscendæ gratiâ cantiones Latinæ in Ecclesiâ usurpentur, ubi plures illiterati, quàm literati. Aliud tempus huic studio destinatum. Conventus Ecclesiastici instituuntur, ut Ecclesia unò ore Deum precetur & laudet, adeoque illud fieri oportet Linguâ omnibus notâ, juxta Apostolum *1. Cor. 14. vers. 11.* ubi Barbaris comparat, qui non intellecta Auditoribus loquuntur, vel quod idem est, canunt. Et sic puto, Meisnero non satis fuisse causæ, quare adeo in eos inveheretur, qui illum ritum improbant, eosque injuriosò nomine Crypto-Calvinianorum hinc inde *d. Disputat.* insigniat, quasi illi statim, qui ejusmodi ritus abrogatos esse velint, Syncretismum aliquem introducere, & Calvinismo, (sunt verba Meisneri) fenestras non modò sed & portas quasi bipatentes aperiant, cum precum Latinarum orthodoxiam tolerare nolint. Sapiunt hæc & alia duriora, quæ Meisnerus habet, Zelum admodum intempestivum, quasi orthodoxia precibus Latinis sit alligata, & quasi ab omnibus Reformatorum doctrinis, tanquam diabolicis abhorreere quilibet debeant, & quocunque modo niti, ne vel in unicâ re cum ipsis consentire videatur.

§. 11. Jam pauca etiam addemus exempla circa Baptismum & S. cœnam adhiberi solita, & ab *Exorcismò* quidem incipiemus. Nisi jam *cap. 1.* fundamenta nostræ sententiæ ab omnibus oppositionibus liberâsemus, & Principi hoc jus, ex solidis principis adjudicâsemus, meritò à controversiâ hâc ab-

stineremus, & aliis majoris judicii eam relinqueremus. Verum cum nostrates *usum Exorcismi inter adiaphora referant*, non possunt non nobis largiri, Principem justè illum abrogare posse, nec puto, necessarium esse, ut nova hîc argumenta afferamus. Quod enim juris est in unô adiaphoro, idem est & in aliô. Nec enim, hîc adest ratio differentia, ut adeò dolendum sit, ob abrogationem Exorcismi *tantos motus in Saxonâ sub Electore Christiano I. ex intemperatô animô Clericorum ortos esse*. Cum enim Elector jure suô uti, & ad petitionem multorum Pastorum Lutheranorum Exorcismum abrogare vellet, & scriptum D. Pierii dictum *Ein Bedencken von Abschaffung des Exorcismi*, congregatis Lipsiâ Lutheranis Superintendentibus ad subscribendum offerret, illi verò hoc recusarent, tandem iis mandabatur, ut Auditores de Exorcismô rectè informarent, cui quidè jussui paruerunt; sed cum D. Gundermann & Salmuth annô 1591. d. 14. Julii cum Pastoribus in urbe Zeiz congregatis agerent de Exorcismô abrogandô, cogebantur se subducere, & fugâ sibi prospicere ob tumultum, qui propter abrogationem Exorcismi suborietur. Tandem edictum Electorale de abrogandô Exorcismô prodiit, quod etiam executioni fuisset datum, nisi mors immatura Electoris executionem impedivisset. Tum post obitum ejus Inquisitores Theologici, abutentes indultu Administratoris Friderici Wilhelmi, non solum Theologos quàm plurimos, sed etiam Jctos aliosque Politicos ex Academiis & Consistoriis ejecerunt, aliisque officiis & dignitatibus privarunt, de quô pluribus apud Hospinianum *in Concord. Discord. pag. 260*. Et si vera sunt, quæ narrat Nicolaus Blumius in *der Leicht: Predigt über den custobirten D. Nicolaum Crell*, inchoata executio de abrogando Exorcismô fuit inter causas, propter quas de D. Crellio annô 1601. d. 9. Octobr. capitis supplicium sumptum est. Videatur historia & processus supplicii in libellô, quem ediderunt Crellii propinqui & Amici annô 1605: cui titulus, *Antwort und warhafftiger Segen-Bericht auf die Leichtpredigt, welche Nicolaus Blum bey dem Begräbnuß D. Crelli zu Dresden*

den gehalten. *add. Dissertatio D. Friderici Beckmanni de Exorcismo etc.* 22. ubi pluribus de Crellio ejusque accusatione, & addit: At iis non attentis capite truncatus bonus ille Crellius, etiamnum post fata vivit & vivet. Quam controversiam historicam nostram, non facimus, sed aliorum potius iudicio relinquimus. Nobis sufficit, quod *Exorcismus sit res adiaphora*, imò quod ipsi Nostrates concedant, illum laborare duritie aliquâ verborum. *B. Brunne-
mann. Lib. 1. c. 6. membr. 3. §. 3. cui Magnif. Dn. Pro-Rector ad-
dit; Sane peccat, qui nihil circa hanc Ceremoniam potestati Prin-
cipis relinquunt.* Ut inde concludam, illum Ministrum, qui eun-
dem in unâ eademq; Ecclesiâ in Lutheranorum gratiam retinet,
ad Magistratûs verò mandatum omittit interdum, pro vero
Ecclesiæ Christi Ministro, cæteris paribus, haberi posse, secus ac
statuitur apud Dedekenn. *Vol. 3. sect. 7. n. 3. Consil. Witteberg. nec
juramentum fortè initiò suscepti officii præstitum de observan-
dâ Liturgiâ ob stare, quò minus hoc salvâ conscientiâ facere pos-
sit. Juramentum enim non est vinculum iniquitatis. Consti-
tutio enim Liturgiæ dependet ab arbitrio Principis, ideoque dum
Princeps mutat illam, Pastori remittit juramentum antea præsti-
tum, non secus ac subditi posteriores Leges semper præ prioribus
abrogatis observare tenentur, salvò juramentò, quò prioribus
LL. fuerunt antè obstricti, ut & inde videre liceat, Theologos
quosdam nonnunquam abuti principiis moralibus ad obtegen-
dum suum factum & defendendas malas suas hyporheses, quod
& fecisse mihi illi videntur, qui apud Dedekenn. *d. l. sect. 6. n. 1. pag.
394.* Reformatos noluerunt ad officium Patrinatorum in Baptis-
mo infantis Lutherani admittere, sub prætextu, quòd esset con-
tra juramentum, quò ordinationi Consistoriali Ministri essent
obstricti.*

§. 12. Ad adiaphora circa S. canam pertinet ex consensu
nostrorum Theologorum *privata illa confessio*, in multis Ecclesiis
Lutheranis hætenus usitata. Nullibi enim à Christo præceptum
aut prohibitum eò modò peccata sua confiteri, adeoque definitio
adiaphororum & huic enti competit. Durum autem plerisque vi-

debitur, sustinere velle, & hunc actum subjacere dispositioni Princeps. Principia nostra supra posita illud affirmant, adeo q; si Princeps observet modum cap. 2. propositum, nec Clerici super læsioneliber-tatis Christianæ conqueri poterunt, præsertim cum & in multis Ecclesiis Lutheranis iste ritus jam sit abrogatus. Et locò *nummi confessionarii* aliud quid ad sustentationem Ministrorum introduci poterit, de quò addere placet judicium Magnif. Dn. Strykii *ad Brunnem. Lib. 2. c. 5. § 6. Opèrandum sanè, inquit, ut aliò in loco, quam ubi petitur absolutio, hæc gratitudinis contestatio fieret; negari enim nequit, quòd eò momentò, ubi absolutionis verba pronunciantur ab Ecclesia Ministro, cogitationes suas dirigere necessum habeant Confitentes ad hunc nummum; quò illum in promptu habeant, ut, finita absolutione illum offerre possint &c.* Plura exempla allegare possem, nisi hætenus allata sufficerent illustrandis Principiis nostris. Quare & hic pedem figo. Non dubito, fore quàm plurimos, quibus Principia nostra impia videbuntur, & contra Orthodoxiam, quibus & ipse consentirem, si per Orthodoxiam intelligerent sententias communiter hætenus receptas, & autoritate multorum Theologorum & Jctorum palliatas, nullis autem veris principiis innixas. Vidisti B. L. nos ubiq; rationibus pugnasse, & non nisi raro autoritatibus Magnorum Virorum usus fuisse, ut ostenderemus illis, qui judicio autoritatis nimis adhuc adhærent, non planè novam nostram esse sententiam, sed bonè cohærere cum principiis jam ab aliis positis & ab omnibus ferè concessis, & nihil aliud nos egisse, quàm ut ex concessis contra adversarios disputaremus. Quare speramus, illos, quibus hæc non sint ad gustum, eòdem modò nobiscum processuros esse, & si fortè in errore noxiò & impiò versetur, placidâ collatione nobis illum ademturos, & ad bonam mentem monendò, docendò nos redigere conaturos esse. Veritas enim omnem coactionem respuit, & non nisi veris rationibus menti nostræ amicè sese insinuare novit.

S. D. G.

DILECTO SUO
DN. BRENNISEN

S. P. D.

CHRISTIANUS THOMASIVS, D.

R

Ecipe, quam mihi ad censuram obtulisti, disputationem tuam inauguralem de Jure Principis circa Adiaphora, quam uti perlegi attentè, ita tibi de egregio edito specimen profectuum in cognitione Veritatis, & leqvstrationis præjudiciorum, Studium sapientiz impedientium, gratulor. Deprehendes, me paucissima & ferè nihil emandasse, non, quod haud arbitraret, aliter paululum quæstionem hanc tractandam fore, si à me fuisset elaboranda, sed quod putarem, melius fore, si quæ monenda haberem, tibi separatim exhiberem, in usum fortè curarum secundarum, quam si mixturâ meorum cum tuis corpus aliquod parum coherens & inæquale evaderet. Nempe in veritate thesaurum tuarum nihil est quod desideraverim, saltem optaverim, ut in tui & Lectoris gratiam quædam paulò uberiùs hinc inde ex posuisses. Etenim, si vulgare quid aut quod careret tot ac tantis adversariis, adseruisses, nec hîc quicquam, quod monerem, mihi restaret; ita enim, credo, perspicuè thesaurum tuam & oriundas inde conclusiones fundasti & deduxisti, ut in homine affectibus & præconceptâ opinione libero nescio quod dubium urgere ad diffusum possit. Sed paradoxon est, quod defendis, negatum à tot Viris, autoritate pollentibus, à tot Theologis, potissimum Saxonis, & Vicinis nobis, ac non optimè faventibus, & adeò verosimiliter ansam arrepturis, ut te cum doctrinâ hac tua suspectam de heterodoxiâ & impietate reddere possint. Muniendus igitur in tempore es & præparandus, vel potius, cum specimen hoc ostendat, te jam satis munitum & præparatum esse, jure saltem amicitiz, & quia oculi plus vident quam oculus, tibi nonnulla communicanda à me sunt, quibus arbitrer insecundis curis te & adversariorum ictus feliciter aversuram, & Lectori fortè præoccupato nebulas dissipurum. Est maxima vis autoritatis, & humanæ fidei, & metuendum valde, ne eas abutentes plurimi, clamaturi sint, adversam esse totam disputationem tuam libris Symbolicis, Augustinæ Confessioni, ac Formulæ Concordiæ, & spirare ubique contemnum Ministerii, Mallem adeò cavillationes has paulò distinctius exclusisses.

2. Etenim, quod Formulam Concordiæ attinet, uti tu quidem id parum curabis, cum audiam, in Patriâ tuâ sacrum hunc libellum non esse receptum, de quo & Patriæ Tuæ, & Tibi animum gratulor, ita tamen operi danda erit, ut in secundis curis distinctius, saltem ex principiis genuinæ Politicæ & Jurisprudentiæ ostend-

das

das arcana Statistica quorundam ex Clero Lutheranò, quibus effectum sit, ut Libellus iste Principibus & Statibus supponeretur tanquam ad salutem summè necessarius, qui tamen nihil nisi turbas pacis & Ecclesiasticæ & Profanæ hætenus peperit. Ne videlicet malè audias apud Studiosos in vicinia, inter quos mediis sumus, & quibus pervaderetur adhuc, Formulã Concordiæ esse Palladium, (Palladium vero nativã significatione idolum Ethnicum est.) Ecclesiæ Lutheranæ. Ut vero istud ostendas non adeo prolixã demonstratione erit opus. Præstitit enim jam satis Holspinianus in Concordiã discordie, ut Tibi saltem incumbat, monstrare, summã capita fundamentorum, iudicio Historico & Logico apertè repugnantium, quibus Hutterus vastum illum Librum Concordiæ Concordis superstruxit, quæ quidem meo iudicio ad pauca puncta concentrari poterunt, ut latius, Deo dante, ostendatur alibi.

3. *Augustanam autem Confessionem quod concernit, evidenter ostendendum erit, doctrinam tuam eidem exasse convenire. Video evidem, te id jam præstitisse s. cap. 1. sed occultè. Quare vitio mihi haud veres, quod in Lectoris gratiam ista argumenta ex Aug. Confess. evidentius exhibeam. Dicit Articulus VII. ad veram unitatem Ecclesiæ satis esse, consentire de doctrinã Evangelii & administratione Sacramentorum, nec necesse esse, ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus ac ceremonias ab hominibus institutas: Unde inferre voluisti, Adiaphora illa non pertinere ad internam potestatem Ecclesiæ, sed ad curam Principis, in Republicã instituta humana omnia dirigentem. In Artic. 15. dicitur, quod ritus illi Ecclesiastici servandi sunt, qui sine peccato servari possint, & profine ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesiã, At vero de tranquillitate & ordine iudicatur in Republicã totã, (in hac vero etiam est Ecclesiã,) ad solum Principem pertinet, neque eximi ordo & tranquillitas Ecclesiæ, aut ad Clerum cura huius ordinis, sine aperta rupturã unionis, quæ anima Reipublicæ est, aut interruptione Majestatis, transferri potest, ut vel exemplo hypotheson Pontificiam apparet. Denique notat Artic. 16. Necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus, nisi eum jubent peccare. Unde sequitur, quia peccata sunt actus prohibiti, adiaphora vero sunt actus indifferentes, quod vi Augustanæ Confessionis Christiani debeant obedire Magistratuum suorum, legibus de adiaphoris disponentibus. Ex his autem sequetur sponte, Theologos omnes & Jctos Protestantantes, defendentes, quod Principi non competat Jus circa Adiaphora, recessisse à confessione Augustanã.*

4. Imputatio contentus ministerii commune cavillum est, & sæpius iterata usurpatione ferè obsoletum. Interim non nocebit, si ostendas, te in totã disputatione per nomen Clericorum non intelligere Pios Theologos & Verbi divini ministros, Evangelicam doctrinam purè docentes & vitã sanctã exprimentes, (quin potius Te hos ut pupillas Dei debito modo venerari;) sed homines, qui sub prætextu Ministerii, Theologiæ & Evangelii imperium & tyrannidem quarunt in conscientias &c. Quã occasione ostendere poteris originem, distinctionis personarum iure Canonico in Clericos & Laicos, ipsam videlicet ignorari à scriptis

Novi Fœderis, & canonem Decreti 7. Causâ 12. q. 8. r. ex Hieronymo excerptam, nihil magis offendere, imò palpandum dare, quàm quod misera & Papistica Doctrina jam illo tempore summe regnavit, atque sic in consensu quinque seculari, vel ex hoc insigni specimine, parum fundamenti sanitatis Doctrinæ vel motum ponendum sit.

5. Circumspiciendum tibi etiam erit de consensu Theologorum quorundam Lutheranorum. Equidem prudenter fecisti, quod pleraque tua stabiliveris testimoniis illustribus Biga Fœderum, & celebratissimorum & nunquam Theologis γυνόως Lutheranis de heterodoxiâ suspectorum, Soceri & Generi. Interim non diffitendum, adhuc melius te cum iis acturum esse, quibus autoritas dissentientium mentem fascinavit, si Theologorum quorundam Lutheranorum consensum adducas. Quidsi feceris, certè dubios reddes juvenes, ne te hæreticum aut quid simile esse opinentur, si videant Theologos quosdam de Sectâ nostrâ tecum sentire salvo Lutheranismo. Et ut tibi hæc in parte feram suppetias, in testimonium Theologi Helmstadiensis Gebhardi Theodori Meisri in libello de *ribus initiamentis Christianorum* §. 71. in fine. p. m. 74. *Rituum antiquitas præscribere nostris temporibus non valet, quia ritus lege Deorum definitus Majestati, promissus è re Ecclesiæ & Republicæ si sum fuerit, nunc insituere, nunc reformare, nunc abrogare potest.* Habes hic in tribus lineis synopsis totius tuæ disputationis. Neque est, quod diffidium metuas & tixas, quæ Patrum nostrorum tempore cum scandalo totius Ecclesiæ intercesserunt Theologis Saxonis cum Helmstadiensibus, cum jam notorium sit, illos hos pro fratribus agnoscere, nec ausuros aded esse, ut testimonium illud pro Syncretismo sint ventilaturi.

6. Probo & illud, quod capite primo distinctè ostenderis, quæstionem de jure Principis circa adiaphora, ad *Juris prudentiam pertinere*, & aded removeris objectionem hodiè nimis frequentatam: Quid id ad Te? Fortè non incommodum fuerit, aliâ occasione tradere regulam, difficultates similes per compendium expediendi. Videlicet Propositiones aut quæstiones ad quam disciplinam pertineant ex prædicato judicandum esse non ex subjecto. Ita ad Grammaticam pertinet quæstio: Deus cujus generis? ad Logicam: Deus an substantia? ad Philosophiam moralem: Dei sanctitas an fundamentum juris naturæ? Ita ad Jus publicum pertinet quæstio: An Nobiles immediati sint Status imperii? ad Grammaticam, Nobilis cujus declinationis? &c. Ita ergo ad Jurisprudentiam & quæ instrumentum Jurisprudentiæ est, Politicam pertinet: Dispositio circa adiaphora an sit Regale Majestatis? an competat Statibus Imperii?

7. Non malè aded facies in curis secundis si ex *Legibus fundamenti alibi imperii*, Pace Religiosâ, & Instrumento Pacis Westphalicæ &c. *argumenta utriusque* ex quibus probari vel in superfluum possit, Statibus Imperii competere Jus circa adiaphora, ut eò magis convincantur dissentientes infirmi. Dico in *superfluum*. Nam ad scopum tuum id quidem non præcisè necessarium erit, cum in disputatione satis ostenderis, in Legibus Imperii nihil esse, quod assertioni tuæ jure opponi possit.

possit. Non poterunt vero & argumenta probantia effugere modicam diligentiam, si vel *Artic. 5. & 8. Instrumenti Pacis Monasteriensis* attentè perlegere velis.

8. Rejecisti *distinctionem*, communiter in exponendo Jure principis circa sacra adhereri solitam, *inter interna & externa*, tanquam obscuram. Bene tamen mereris de Jurisprudentiâ Ecclesiasticâ, si ex mente illam adhibentibus eam fusius paulo exposueris, ut ostendas ademtâ Principi potestate circa adiaphora nihil fere relictum manere juris, quod circa externa exerceat, sed jus circa sacra etiam in nostrâ lectâ, (secundum expositionem dissentientium) si virtutes ejus examinare velis, esse nil nisi onus protegendi Ecclesiasticas personas, easque adjuvandi in persecutione dissentientium, & corroborandis eorum traditis & doctrinis.

9. Placet etiam, quod adduxeris *S. 2. c. 2.* pro tua sententia autoritate *Gregorii Nazianzenensis*, ut appareat Lectori, doctrinam tuam non novam esse sed antiquam. Echarit Nazianzenus multa, quæ non sunt ad palatum Adversariorum. Ita notum est elogium ejus, quo Concilia insignivit, circa quod torquent se quidam ex nostris, ut alibi me ostendisse meministi, ne istud noceat præsentis autoritati & integritati Concilii Niceni. Ita hæc septimanâ, dum aliud ago, deprehendi elegantem alium ejus locum fortè & Tibi in ulterioribus meditationibus usui futurum. Est autem in oratione 35. ad 150, Episcopus f. m. 562. *Numeros omnes perfectionis exploratis, unum quidem quo ad essentiam individuam, adorationem credentes, tria autem, quantum ad hypostases, sive personas, ut nonnulli malant. Desinant enim, qui de his vixantur, inceptare, perinde ac si fides nostra pietas in nominibus, non in rebus consideret. Quid enim dicitis qui tres hypostases assertis? an hoc eò dicitis, quod tres essentias existimetis? Non est apud me dubium, quin adde, sui eos, qui ita existimant, ingentem clamorem excitaturi sitis. Unam enim & eandem horum trium essentiam profiteamini. Quid vos, qui personas dicitis? Nam unum velut quoddam, compositum animo fugitis ac tres facies, aut humanam omnino formam habens? Absit, ipsi quoque inelamabitis. Ne faciem quidem Dei, quæcumque tandem illa est, nunquam ille videat, qui ita sentit. Quid igitur, ut interrogare pergam, vobis hypostases voluit, aut vobis Persona? Nimirum tria esse quæa dividantur non naturæ sed proprietatibus. Optime &c. Videbis tamen an ex usu tuo futurum sit hic locus. Id quidem constat, Gregorium inter adiaphora hic retulisse si quis neget terminum personæ, modo differentiam proprietatum agnoscat & unitatem essentia. Sed fortè tamen id adiaphoron ad Tuas, de quibus Tu tractas, non ita directè pertinet.*

10. Eodem paragrapho Principem instruis, ut ipse debeat discere, quænam sint adiaphora. Ego putarem, non securius Principem Regale suum exerciturum, quam si aggrediatur *καὶ ἂν ὁ ἴδιος αὐτοῦ ἑὸς κληρὸν ἰνδιδυκίᾳ προ ἀδιὰφορῶν ἔχει*. Ita v. g. apud nos Exorcismus, confessio Auricularis &c. Adiaphora esse communiter docentur. Neque enim tunc habebunt, quod justè & cum prætextu probabili pervideant cordatoribus & sensu saltem communi utentibus Laicis, quod Princeps invadat religionem. Ostendendum tamen hic erit minus cautis, quam egregiè ipsis hæctenus impostum fuerit, post Formulam Concordiæ per istam doctrinam & scripturæ & rationi & sensui communi repugnantem; *Adiaphora ja*

casu

casu orta controversia desinere esse adiaphorâ. Ita Blumius in der Letztpredigt über D. Krell p. 37. Der Exorcismus ist wohl extra Controversiam auffer dem Straß ein geringes Ding/wir lassen Ihn auch in der Döschtauffe aus, aber in Controversiâ ist es ein groß Ding und diese Ceremonia, alsdann kan man Sie mit guten Gewissen nicht anlassen/wer Sie drüber außlässet, der gebt sich schuldig adter Suenel. Ita post alios à se citatos Dn. Linckerus in dissert. de eo quod circa sacram eucharistiam est c. 4. S. 14. p. 42. *Adiaphora in casu scandalii, confessionis & libertatis Christiana obnoxia, non amplius manent indifferentia, sed observari fiunt necessaria.* Et ita frequenter in Consiliis Wittebergenfisibus & à Dedekeno collectis repetitur istud Brocardicum, ut merito videatur esse Palladium dissentientium, quo erepto de iis actum est. Ostendenda ergo erit pestilentia hujus dogmatis, & quod sit genus in inventum ad palliandas turbas in Republicâ & rebelliones sub pretextu pietatis excitatas, comparandum adeo cum doctrinâ Pontificiorum de fide non servandâ hæreticis, aut Jesuitarum de reservationibus mentalibus. Idem enim est, ac si dicerent. Ante prohibitionem Principis res adiaphoræ sunt indifferentes, ut eas pro lubitu omittere possimus. Si vero Princeps eorum omissionem præcipiat, non obedientiam præstare Principi cogamur, per suadendus est populus, eas esse à Deo præceptas. Aut brevier: Quædam indifferentiâ à Deo præcipiuntur, non Majestati pareant subditi. Et tamen isti homines tractatus scribunt, quantum interesse habeant Principes defendendi eorum dogmata igne & gladio!

II. Posses etiam ad meliorem illustrationem eorum quæ differis §. 3. Cap. II. distinctius paulo agere de Consiliis Theologicis eorumque insigni differentiâ à Decisionibus & sententiis vim rei judicatæ habentibus. Et hæc doctrinâ opus est, postquam communi vitio Consilia v. g. Dedekenni & Wittebergenfisium ut res judicatæ sæpissimè allegari solent. Fuit olim tempus barbarici Juridicæ, ubi in iudiciis majori cum successu allegabatur glossa, quam textus. Propè incidimus in barbaricam Theologicam, ut in media luce, quæ jactatur Evangelii, ubi de casu conscientie sermo est, majori cum successu allegentur Consilia v. g. Wittebergenfisium, quam verba Evangelii. Ostendendum, Principes Protestantes noluisse ut Theologi desiniant controversias, hinc noluisse ut Facultates Theologicæ sine Juridicæ sententias ferrent: hinc in Consistoriis adjunctis Politicos, & Præsidem ex ordine Politico præfecisse. Ostendendum tamen etiam, quod præcipuis post tempora Formulæ Concordiæ Clerici quidam per suadere attentaverint Principibus, quasi ad Regia eorum pertineat desinere per ipsos fidei doctrinam in vim legis valiturâ ista decisionem etiam extra territorium, & quod non sentientibus statim fraudem principibus, idem potestatem sibi sumserint, cum maximo detrimento Germaniæ, talia tentandi autoritate propria, & plusquam papali, ut, si alia infinita deficerent, vel exemplo barbarum insisteret motarum, cum gloriosissimæ memoriæ Elector Brandenburgicus interdiceret, contumeliis uti in locis ad prædicationem verbi Divini destinatis, adhuc cuilibet iracenti est memoriâ. Edita est Anno 1655. Glossa ordinaria ad literas Circulares Alexandri VII. quæ pretextu pacis procuranda scripsit. Incipiunt literæ. *Suppono Apostolicis fatisis orbem universum, nostras scilicet*

curas sollicitè, circumspicientibus nobis &c. Non concoquere potuit Auctor Glossæ istud: *nostras fideliter curas. Videlicet, ait, p. 16. hæ sunt curæ Tuæ? Quam curiosus es in rebus ad Te nihil pertinentibus? At nobis, credo, dictum Homuli ad Augustum. In alienâ damâ cæcum & mutum esse decet: Et: Tuâ quod nihil refert. Percontari desine.* Monita hæc Papæ data vel similia commodè applicari poterunt ad intemperativam & Papizantem curam Cleri nostri.

12. Dum §. 4. cap. 2. rectè inculcas: Potius abrogationi quàm introductioni ceremoniarum studendum; opus foret, ut etiam monstres; Formulam concordie, vel certe qui eadem utuntur in quæstionibus de jure Principis circa adiphora *mihi scire ista duo*, & argumenta ex textibus scripturæ, quæ dubium movere poterant contra introductionem ceremoniarum, sæpe adhibere contra abrogationem, cum tamen inter ista ingens sit differentia, Simile Sophisma committitur, dum urgeri solet à dissentientibus scandalum infirmorum, & dictum Pauli de quorum utroque tu agis d. §. 4. & 2. Notanter dicit Paulus, quod *abstinere* velit ab esu carnis ne infirmus scandalizetur, non quod *vesci* velit carne in gratiam alterius infirmitatem præcedentis. Hinc facile fieri posset applicatio, uter exemplo Paulino propius accederet, qui v. g. Exorcismum omitteret, ne infirmus scandalizetur, an qui retineret, ne alius, qui se infirmum dicit scandalum capiat.

13. Nullum vero medium ad exercitium juris circa adiphora magis accommodum esse arbitror, quam quod occasionem tuæ disputationi suppeditavit, & quod inculcas §. 5. cap. 2. *ut plebs in tempore per homines Verbi de naturâ adiphororum informetur.* Utinam vero sapientissimæ intentioni Principum semper corresponderet Praxis. Fortè è resuerit, in visitatione adigere Clerum, ut de observatione istius legis rationes reddat, & refractarios ac pertinaces paternâ animâ veritione coercere. Interim eò minus Tibi vitio poterunt vertere, quod thesira hoc in discursu inaugurali tractandum tibi sumseris. Nam si ipsi tacebunt ulterius, clamabunt Lapides.

14. Ne habebo, quod moneam circa *retorsionem argumenti de non scandalizando fratre infirmo.* Debebant enim utique & Reformatorum hic habere rationem. Sed vide malitiam, ne dicta scripturæ de vitando fratris scandalo ipsorum libidini viderentur obitare, persuaderunt Laicos, *Reformatos non esse fratres*, quæ ratio status Pseudo-Politicæ Clericalis, tibi in secundis curis fusus erit deducenda. Etsi enim jam in disputatione ejus insufficientiam ostenderit, & rectè inculcaveris, etiam gentilibus non esse dandum scandalum, tamen cum hæc responsio anam suppeditare possit dissentientibus, vario modo calumniandi, altera responsio, (quam quidem tacite innuis ibidem ad scriptum meum de conjugio Principum Lutheranorum & Reformatorum, provocando) quod secundum Alphabetum Christianismi & prima ejus fundamenta, (à quorum tractatione aut *causæ* applicatione nos sine aperta tyrannide Papali non possunt arcere,) fraternitas Christiana inter Evangelicos utriusque Religionis non possit tolli, paulo clarius erit exponenda.

15. Argumenta, quibus dissentientes *oppugnavi receptionem Calendarij Grægoriani* (de quibus agis §. 6. c. 2.) talia sunt, ut pudeat nos Laicos debere, quod tanto tempo-

tempore spatio occurrari nos simus passi tam miseris doctrinis. Est in communi proverbio; cum non esse inter stultos referendum qui stulta postulet ab altero, sed qui ea præbeat aut patiat. Tempus ergo adest, ut torporem nostrum excutiamus. Quid minus cohærens fingi potest? Calendarium illud est ens Anti-Christi, quia Papa fecit. Quid si Papa Grammaticam scripsisset, aut Arithmeticam, an etiam ens Anti-Christi foret? Quid ipsi facient de adiaphoris in Ecclesiâ nostra retentis, quæ Papas auctores habent? Quid Terentio fiet, Martiali, Petronio, in scholis Autoritate Cleri maxime, vel stabilitis, vel tamen communiter juventuti ob latinatam & acuminatam commendatis? Cur hos Autores non pro diabolicis entibus, & meliori quidem jure habent, cum diabolicis entibus omnes eorum paginæ sint repletæ? Cur Evangelicam doctrinam in tantum prostituunt, ut integra collegia eorum, qui Ministris verbi volunt audire, diabolicorum horum paganorum defensionem egerint & adhuc agant contra piorum Christianorum monita Evangelica? Illud vero etiam tibi in posterum discutendum ulterius, quod prætendunt de sanctis nullius momenti Calendario Gregoriano insertis. Quasi in Calendario Juliano & Gregoriano, prout ea conjunctim impressa sunt, non deprehendantur eadem nomina, iidem sancti, aut quasi non possit Princeps pro lubitu nomina inconvenientia ejicere, aut quasi unquam in quæstione de receptione Calendarii Gregoriani quæstio fuerit de sanctis illis. Huc pertinent etiam verba Lutheri in tom. Jenens. de emendatione Calendarii ita scribentis: *Man fraget nicht/ ob es recht oder unrecht sey/ daß man den Calendar reformire, und andere/ foudern mer es than soll: Als nemlich die Majestäten/ Kaiser oder Könige &c.* Ergo & Lutherus Principibus Majestatem habentibus Jus circa talia Adiaphora concessit. Satis hactenus ostenderunt Principes Protestantes, quod Pontifex non habeat auctoritatem eis imponendi Calendarium istud, & possent adeo sine suspitione Papismi attendere rationes Politicas in Edicto Rudolphi 1. *dato 15. Sept. 1583. ad Senatum Augustanum*, recensitas, quas exhibet Consult. Dn. Lincker in *disput. de Calendario habitâ Als dorfb. ann. 1674. cap. 4.* qui plura huc pertinentia suppeditabit.

16. Multis videbitur nimis paradoxa assertio S. 8. cap. 2. quod *vestimenta personarum Ecclesiasticarum non sint res sacra.* Ergo ostendendum erit, *Divisionem Juris Justiniani in res sacras, religiosas & sanctas sapere Ethnicismum, & Theologiam Paganorum*, qui res sacras Diis superis, religiosas inferis, & sanctas semideis dedicabant. Ostendendum erit, uti apud Protestantes religiose & sanctæ non sunt res divini juris, sed publicæ, aut etiam privatæ, ita res sacras non posse apud nos ad res divini juris sine notâ superstitionis Ethnicæ, vel certè Papisicæ referri, & adeo in novo testamento non dari apud veros Christianos propriè res sacras. Deus enim cordis nostri dedicationem cupit: reliquarum rerum dedicatio superstitiosa est. Hinc pariter quædam dicenda erunt de origine templorum Christianorum tempore Constantini, id est eo, ubi Anti-Christus jam corda Christianorum occupaverat, ubique paganizantia.

17. Meretur etiam caput de *abrogatione imaginum* ulteriorem discussionem. Plura in hac rem suppeditabit Frid. Spanhemii *Historia Imaginum, & Historia*

Imaginum restituta, scripta dignissima ut ab omnibus Theologiae studiosis nostrae sectae legantur. Dissiteri non possumus, plebem nostram parum abesse hac parte à superstitione Papistica, & rarissime inculcatur à docentibus genuinus ille & innocens usus imaginum. Exemplum aptum præbere poterit in hoc ducatu & in hac urbe notorium, ubi ob superstitosum cultum imaginis Jerusalem repræsentantis, ante paucos annos Princeps prudentissimè ceremonias illas supersticiosas abrogare coactus est. Evidens est, Pontificios in Catechismo suo præceptum de imaginibus studio omisisse, propter iconoduliam. Non sensit ista aliis intentus Lutherus, neque enim omnes defectus simul observare poterat. Pedetentim superstitio crescit, pedetentim etiam eradicanda. Unus homo nec omnia videt, nec omnia purgat. Debuisse discipuli Lutheri exemplum ejus sequi, non facte res & dicta cancellis munire, & conscientias illaqueare.


18. Occasione *Cantionum Latinorum*, de quibus tractas §. 10. cap. 2. subit meditatio nonnemini, qui *linguam Draconis* cujus mentio fit in Apocalypsi, interpretatus est de *Lingua Latina*, ut mihi videtur verosimiliter. Est Axioma Politicum; Principes debere subjectis inungere usum linguae dominantis. Idem adhibuit Papa, in notam subjectionis injungens Clericis omnibus ubicunque sint, usum Linguae Latinae in sacris. Jam Caroli M. tempore superstitio illa in Germaniam introducta, Scholæ publicæ ut à jurisdictione Principum eximerentur, omnes Professores & Studiosi in ordinem Clericorum assumti. Inde & *lingua Latina lingua eruditiorum facta*, quia lingua Clericorum erat. O igitur nos miserè cæcos, qui perivademur, Principem non posse v. g. Calendarium Gregorianum tanquam ens Anti-Christi recipere, & non sentimus cautiones latinas in Ecclesiis nostris, & linguae Latinae usum in scholis nostris esse entia reverè Anti-Christica, turbas, superstitiones, idololatricam, pedantissimum &c. patientia.

19. Narrationem de *urbis Saxonici ob Exortium* mallet ut omisisses. Ferè enim prævideo dissentientes te *crimini laesa majestatis* accusaturos, quasi taxata à Principibus imperii vel approbata, vel nomine eorum gesta. Novi consilia hominum & expertus similia scribo. Nec meum exemplum jam distinctius exponere opus est, differendum ad aliam occasionem. Peucerus similem accusationem in re non multum ab simili est expertus. Scripserat Peucerus, ignorasse Electorem Saxoniae, quod in Symbolo Athanasii haberetur, Christum secundum humanam naturam esse Patre minorem, & expalluisse cum hæc ex Athanasio monstrarentur. Hutterus cum non haberet, quæ adfectioni non improbabili reponeret, verbis impotentissimis in Peucerum tanquam in atrocissimi criminis lætæ majestatis reum invehitur. Præpara ergo te ad justam explicationem de *abuso criminis laesa majestatis*. Plurima exempla suppeditabit ex historia Romanâ Tacitus & Ammianus Marcellinus, ex modernâ & nostrâ vel unicus Hutterus in Concordiâ sua Concorde, (nec abusus solum hujus criminis, sed & criminis falsi, perjuri &c. sine ullâ ratione Hospiniano aut Peucero &c. impactorum,) non pauca exhibebit. Rogandi adeo erunt, qui ferre nequeunt, ut Jurisconsulti de rebus Ecclesiasticis tractent, ut in posterum doctrinas juridicas, potissimum criminales, non quidem nobis

relin-

relinquant, sed tamen magis sobriè applicent, quàm hæcenus in controversiis adversus dissentientes factum.

20. Denique sunt & *alia exempla* ad jus circa adiaphora pertinentia, à Clero tamen hæcenus Principis jurisdictioni adempta. Ut in sacre Coenæ usu oblata quæ dicuntur, formatio crucis in consecratione, distributio panis, formulæ quibus in distributione utuntur &c. Conf. Lyncker. *suprà creatam disputationem de jure circa sacram Coenam cap. 3. & 4.* Alia exempla suppeditabunt Volumina Consiliorum Theologicorum de adiaphoris, quæ ad eandem normam exacta occasionem præbebunt ostendendi similes hallucinationes plurimas dissentientium. Tu interim vale in Domino, & liberio rem hanc admonitionem quæ boniquè consule. Dabam die ult. Augusti. 1695.



C O R O L L A R I A.

Blæphemæ crimen injusè prædicatur de iis, qui quasdam doctrinas bonæ fide ponunt, quæ repugnant doctrinæ nostrorum Theologorum de DEO & Christo. Nullum enim crimen sine proæressi est. Ita Caspar Francus & Hospinianus immeritò blasphemæ acculantur ab Huttero *cap. 22. in fine p. m. 718.* Quid Hutterus diceret, si quis eum blasphemæ accusaret, quod cum Selneccero scripserit, Electorem Augustum, non impulsu hominum, nec ex humano affectu, sed *ex afflatu Spiritus Sancti* de opere Concordiæ consilia cœpisse. *Cap. 9. p. 270.*

2. Ea quæ juris naturæ sunt in Processu, sunt etiam ab Ecclesiâ observanda. Sunt autem juris naturæ, non damnare inauditum absentem, non damnare homines qui non sunt nostræ jurisdictionis. Contrà Hutterus *cap. 14. p. 453. 456.* Iniquissimam fore hanc conditionem, si in *Politiâ* Ecclesiasticam reciperetur &c.

3. Virgo est quæ virum non admisit, non quæ clausum habet uterum. Adeoque non opus pro adstruendâ perpetuâ virginitate Mariæ asserere, eam miraculosè illæso utero peperisse, sed cum aliud eum aliis placeat Huttero, provocatur ad universam *orthodoxam* Antiquitatem. *p. 700. cap. 22.* Misera verò conditio nostra, si & in rebus physicis cogimur statuere articulos fidei & orthodoxiam ac heterodoxiam.

4. Crimen falsi & falsa ratiocinatio aut interpretatio in disputando toto cælo differunt. Unde contrà juris principia Hutterus manifestum crimen falsi impingit Helphanto *Jo. to cap. 24. p. 760.* item Hospiniano *cap. 11. p. 352. & cap. 23. p. 920.*

5. Majestatis læsæ & atrocissimæ perfidiæ crimen salvis sani juris principiis eò extendi æquæ, quo extendit Hutterus, Peucerum talium accusans *cap. 40. p. 267.* quod scripserit, Electorem Augustum ignorasse doctrinam aliquam Symboli Anastasiani, & *cap. eod. p. 275.* quod scripserit, eundem Electorem de Sacrosanctis suis conquectum esse, quod dubitationibus perpetuis eum implicent. Aut si talia ad crimen læsæ Majestatis pertinent, quid fiet Huttero, qui incusat Johannem Principem Palatinum, quod sanioribus monitis locum non reliquerit *cap. 33. p. 230.* led

ledug

deduci se passus fuerit à Calvinizantium quorundam Principum & Theologorum censuris. Item de Christiano I. Electore Saxoniae scribit, quod à quibusdam iuris & Consiliariis & Theologis malè deceptus sit. *Cap. 48. p. 1237.*

6. Repugnat principiis juris naturalis ut Urpheda interdicit reo, ne jus sibi competens in jure vindicet. Unde si quis incarcerationis adigatur tali modo renunciare in Urpheda etiam remediis juris, puto Urphedam talem, ob metum citrà jus juranti inessum nullam esse. Hinc vero judicet Lector, quâ fronte Hutterus Peucerum accuset perjurii *cap. 2. p. 266.* ob violatam Urphedam, cujus formulam exhibet. *ibid. p. 265.*

7. Fingamus: Catholicum quendam Principem à Clero suo persuasum ademisse Lutheranis ob religionem honores, dignitates ac beneficia: iis vero quæ rentibus responsum esse à quodam Clerico: *Ob falsam religionem patiuntur aduersariis, quos quid patiuntur. Officium ergo, non persecutionis est, juris est non tyrannidum, quod in id genus hominum statutum fuit. Et quid vero est, cujus de suo isti homines jacturam fecerunt? Conditionibus nempe Ecclesiasticis & Scholasticis submoti, qui in hæretico errore perveraciter perseverabant. Muneribus publicis exuebantur; stipendia ac beneficia publicè orbabantur qui interdum ne civilem quidem, nedam sacram fidem satis ingenuè magistratus, Republica & Ecclesia probaverunt. Anne vero suarum rerum jacturam hoc pacto isti fecerunt? Nihil minus. Magistratus, quod suum, non quod ipsorum est. officia scilicet, dignitates, honores, beneficia, quippe bona publica sibi vendicaverunt, proprium aut privatam nemini quicquam eripuit.* Quid dicturus esset ad hanc Philosophiam Hutterus, aut Hutteri novissimus Encomiastes; præprimis si Clericus ille discursum hunc suum eo lemmate insigniret: *Officium Magistratus Politici in reformandis Ecclesiis quod sit?* Eadem vero sibi dicta posent ad philosophiam Hutteri pro factis Clerici Lutherani contra Reformatos *capit. 49 p. 1257.*

Plura proponere jam non vacat. Hæc vero, quæ hic adduximus talia sunt, quæ ad Jctorum aut Philosophicam disquisitionem pertinent, non quæ quæstionibus Theologicis possint accenseri, etsi super scripto Theologi formatae sint, per tradita in monitis.

FINIS.

x

VI. 95



Digitized by Google

Georg Konrad
Buchbindermeister
München

